DE LIPSII LATINI TATE

Digitized by Google

image
not
available

BIBLIOTECA NAZIONALE EMANUELE
VITTORIO
3 G 6
40

13 7 18

De
ufficii
Latini

Digitized by Google

image
not
available

6
4-e
41

x Bibliotheca
ori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-4.e.41

II 14 D

DE LIPSII LATINI-tate (vtipsimet antiquarii antiquarium Lipsii stylum indigitant) PALÆSTRA I, ~~HENR. STEphani~~, Parisiensis: nec Lipsiomimi, nec Lipsiomomi, nec Lipsiocolacis: multóque minus Lipsiomastigis.

Libertas volo sit Latinitati,
Sed licentia nolo detur illi.

Hic multa non vulgaria vulgi literatorum linguis de Latinitate illa antiquaria tantum-non digladiantibus opponuntur.

Molestia huius litis est sermonibus
Implicita multis, auferunt qui tedium,
Et liticulas tibi ad alias qui conferunt.

BIBLIOTECA REGIA VITORIENSIS

FRANCFORDII, ANNO M.D. XCV.
CVM PRIVIL. CAES. MAIEST.
IN DECENN.

ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO, D. MAVRITIO, HASSIÆ LANDGRAuio, Comiti in Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain, & Nidda, &c.

SI CÆTERIS in rebus, iis etiam quæ non magni sunt momenti, id quod rite ac legitime fit, ei quod secus, merito solet anteponi: ad decorum pertinere fatendum est vt itidem pura & legitima, & suis cancellis circumscripta Latinitas, ei quæ exlex vult vagari, anteferatur. Atque adeo hanc licentiam contra bonos mores quodammodo esse crediderim: quoniam ma-

lum alius cuiuſpiam licentiæ exemplum præbere poteſt. Hinc factum eſſe opinor vt AVguſto (nec ei inter Cæſares ſoli) antiquarii valde diſplicuerint. Quum autem vix vllum ab eo tempore ſeculum plures hoc linguæ morbo (quidni enim de magna eorum parte qui hodie ſermone antiquario vtuntur, ita loquar?) laborantes tulerit: eo magis huic ſeculo neceſſariam eſſe medicinam nemo negauerit. AVguſti quidem certe ſeculo etiamſi valde odioſi cum aliis pleriſque, tum vero ipſi etiam AVguſto erant antiquarii, minime tamen, vt nunc, periculoſi literarum ſtudioſæ iuuentuti eſſe poterant. Hæc enim iuuẽtus exemplum ſermonis domeſtici exemplo antiquarii ſermonis, (præſertim quũ domi etiam exſibilari & explaudi non-

nonnunquam videret) opponebat: atque hoc modo ab illius imitatione deterrebatur, aut etiam abstrahebatur. Quod si forte tamen contingeret aliquando vt iuuenis quispiam, nouitatis illecebris (vt fit) inescatus, aliquid antiquarium sermoni suo infarciret, tunc aut pater, aut, eo absente, mater, vel matertera, vel auia, primùm illud sermonis genus risu excipiens, deinde aurem vellés, ad castigatum, vsitatum, miniméq; nouitati antiquariæ inhiantem sermonem reuocabat.

Cur autem morbi, de quo agitur, medicinam nunc quærere conatus sim, hęc in causa fuerũt. Cum alibi, tum etiam in diuersis Germaniæ locis, sed potissimum Ratisbonæ, in nouissimo cõuentu ordinum sacri Romani imperii, mihi conti-

git vt a plurimis & nominatim ab iis qui tuæ Celsitudinis nomine legatione ibi fungebantur, viris certe quouis modo lectissimis, rogarer, vt meã de Latinitate antiquariorum, (quæ vulgo Latinitas Lipsii, aut Lipsii stylus, vocatur) sententiam in publicum proferrem. Quamuis autem alii iam, magnæ autoritatis, & inter hos, nonnulli etiam magnæ dignitatis viri, idem a me contendissent: non parum tamen ponderis ad me impellendum, tandemque perpellendum, verba tuorum legatorum habuerunt.

Iam vero, quum meam de antiquariis (præsertimque de magna eorum parte) sententiam aperire nõ possem, quin eos linguæ morbo laborare mihi videri dicerẽ, simulq; de inueniẽda medicina cogitarem:

(quum

(quũ Aſclepiadei omnes non modo de medicina ſed de morbo etiam ipſo tacuerint) hiſtoriæ cuiuſdam recordatio fecit vt eam viſus mihi fuerim inueniſſe. Venit enim in mentẽm, eorum qui, quum vellent iuuentutem ab ebrietate deterrere, & facere vt eã cane peius & angue odiſſet, ebrium quempiam ſpectaculo illis eſſe volebant, modis omnibus ridiculum ſe præbentem: quum eorum quæ in hominis ebrii ſiue factis ſiue dictis rideri ſolent, nihil reliquum faceret. Ac imitari hoc volens, antiquarium quendam nomine Kænophilum ad hanc palęſtram aduocaui, e ſuo antiquarii ſermonis penitiſſimo penu talia quędam ſuæ kænophiliæ conſentanea kænologemata (ſiue tales quaſdam kænorrhemoſynas) interdum depromen-

tẽ, vt quibuſlibet acroamatis aptiora riſum ad mouẽdum eſſe poſſent. Quid dico? tã ridicula, aut, vt Plautinè loquar, tam ridicularia, (licet ex ſerio loquentis antiquarii ore exballiſtata) vt vel Heraclitum ipſum ad quandam petulantis ſplenis cachinnationem adigere valerẽt. Neque tamẽ eſt quod putet quiſquam me in illa nouantiqua audaciloquẽtia commemoranda rem exaggerare, magiſque eius quam ago cauſæ quam veritatis rationem habere. Et vero alia e quorundam antiquariorum vel ore vel calamo prodeunt quotidie, quę quũ eiuſdem omnino farinæ ſint, fidem illis facere queũt.

Hic fortaſſe interloquetur & obloquetur iſta quiſpiã, Eſto, ea quam excogitaſti ratione illũ linguæ morbũ a iuuenibus plurimis poſſe auerti,

ti, & caueri ne per contagionem in illos serpat: quid? annon de sanandis senibus pariter ac iuuenibus antiquariis cogitandum erat? itâne vis illos pro depositis habere? Quin illis etiam antiquariis consulendum sit haud nego: sed peritiorẽ medicum, qui inueterato (quorundam præsertim) ac contumaci, peruicaci, pertinaci morbo medeatur, quærendum esse fateor. Ideoque & cæteros, qui quum & ipsi nõ sub antiquario sermone sed sub legitima Latinitate semper meruerint, nũc de illa bene mereri cupiũt, obsecro & obtestor vt miseris illis antiquariis ita mederi mecum conẽtur, vt sanati ad imperium illius a qua defecerunt reginæ, cuique diu recalcitrarunt & recalcitrare pergunt, sponte reuertantur. Atque vt in eandem sanãdi eos

curam incubuisse credi possint, edito quisque ea de re opusculo fidem faciat: nec vllus sit qui interim suum in illis elleborum non experiatur: vel, si potius existimandi sunt esse fascinati, nullus sit qui omnes exfascinandi artes animo non volutet. Ad me quidem certe quod attinet, si verum est illud, -- *in magnis & voluisse sat est*, mihi videor multo posse iustius dicere, *In magnis aliquem aliis præiuisse sat est.*

Cæterum non indignum fuisse hunc librum qui maximo cuipiam principi dicaretur, ex eo possim euincere, quod AVgusto Cæsari rẽ aliquis facturus fuerit gratissimam, librum a se aduersus illius seculi antiquarios scriptum ipsi offerendo: vt ex iis quæ de eius contemptu antiquariæ gentis legimus, coniicere est.

est. Quinetiam Iulio Cæsari rem a maximi principis dignitate minime visam esse alienam, eam quæ poneretur in iis quę ad illustrationem suę linguę Latinę pertinerent, operam, eius de analogia libri ostentabant. Vt de Claudio Cæsare taceam, qui publici circa orthographiam quoq; commodi curam gerens, quandam Æolicam ei literam adiecit. Atque, vt ad nostrũ seculum veniam, noster Gallię rex Henricus III, elegantiæ sermonis sui studiosus (aliquot præsertim ante obitum annis: quo tempore plura regia quam multi credunt, habebat) haud infelici & inutili studio, fuit. In eo enim tandem excelluit: & ita quidem vt non minus castigatum quàm ornatum esse cuperet. Quinetiam tam diligens styli quorundã obseruator

erat, vt quum de quodam libro Gallice a me scripto, sed nomen meum haud præferente, interrogasset an non eius autor essem: ac respondissem, me hoc ipsi fallurum, quamuis nulli ex aulicis fateri voluissem: illa mea verba his exceperit, *Bene tibi hac confessione consuluisti. nam te iam mihi stylus tuus prodiderat.* Tantus etiam sermonis Gallici æstimator erat, vt tandem librum de præcellentia sermonis huius, (in quo aliquantum aduersus Hispanos, multum vero aduersus Italos digladiandum erat) componere mihi imperauerit: & ita ergo dioctes fuerit, vt intra breue tẽporis spatium non solum compositum sed excusum etiam afferre ad illum oportuerit. Quamuis autem nunc multo maius meis humeris onus imposuisse videri possim,

ſim, de Latina lingua, mihi peregrina, non de vernacula, ſcribens: & ita quidem vt nõ vulgaria, ſed (magna ex parte) recondita, tractanda fuerint: non tamen omnino impares oneri tanto meos humeros fuiſſe, iudicabunt fortaſſe nonnulli ex iis quorũ linguam antiquarius ſermo haud faſcinauerit.

Sed ab hoc ſermone ad alium tranſeundum eſt, qui veluti appendix erit illius quo oſtendi, non indignum fuiſſe hunc librum qui maximo alicui principi, & quidẽ literato, dicaretur. Illud enim oſtẽdiſſe haud ſatis eſt: addere oportet cur ei optabile fuerit, in tuas potiſſimum manus venire. Duas igitur rationes afferam: quarum prior eſt, quod de eo optimè, ſi alius quiſquam princeps, potes iudicare: poſterior, quod anti-

quarios a te non minori fastidio, quam a Iulio Cæsare, sperni, clamet tua Latinitas, dum nihil ex antiquariorum apothecis petitum admittere dignatur. Vnde etiam factum est vt quumprimum de nuncupando tibi hoc opusculo cogitare cœpi, illustrissime princeps, hæc mecum (vtpote tuę in sermone Latino non minus promptæ quam disertæ linguæ memor) loquutus sim, *Itane illius etiam principis digna laude non erit Latinitas, quod antiquaria dici non possit? Itane isti antiquarii ipsos etiam principes antiquariari volunt?* (vtor enim mei Kænophili & quorundam aliorũ antiquariorũ verbo) *O antiquetur potius antiquaria Latinitas, quam propter illam iaceat & sordescat ea quæ cum Roma florente florebat.*

Alia

Alia mihi multa dicenda essent, illustrissime princeps: quorum nõnulla ex opere ipso, nonnulla ex priore ad lectorem epistola (si tantum temporis huius opusculi lectioni tribuere & licebit & libebit) petere poteris. Verùm epigrãma quoddam ad illos antiquarios a me scriptum, haud aliis lectoribus tecum esse commune, sed tibi proprium, volui. In priore eius parte, ad conciliandam mihi attentionẽ, tanquam ab antiquariorum sermone nõ semper abhorrenti, ne verbo quidem *bouinari* (præsertim quum eorum quibusdam sit in deliciis) abstinendum censui. Rogo igitur vt audire libeat quid ego, apud antiquarios si nõ antiquarium, saltem antiquariolum agens, dicam de discrimine quod inter eorum est Latinitatem,

& eam quam legitimam ſoleo appellare.

O, volupe quibus eſt omnia antiquariè
Fari, rogatis conditio cur veſtra ſit
Peior, Latinè vtriſque quum loqui libet?
Expectorare volo vaciuis auribus:
(Sed ne ſit vllus qui bouinetur mihi)
Latinitatis haud iter nobis idem:
Incedimus nos nanque regia via,
Placere calles deuii vobis ſolent.

HENRICVS STEPHANVS LECTORI S. D.

Si istam antiquariorum sectam, quæ multis iam in locis (præsertimque tamen in vna gente, cuius nomini parcere decreui) radices egit, ac quotidie incrementa capit, vocabulo si non barbaro, saltem semibarbaro, appellare ligam antiquariorum liceret: dicerem, nihil esse mihi optabilius, quã vt quod ligæ Galliæ meæ, & nominatim meæ Lutetiæ, accidisse videmus, id alteri ligæ illi accideret. Per illam Galliæ ligam (si quandam societatis conspiratricem & coniuratricem colligationem vocare ita licet) factum erat vt Hispani in Galliam, spe iam deuoratam, venirent, non παιδαγωγῶν illam (vt cer-

tè pædagogis opus habebat, quin de sa-
nam mentem illam reducerent) sed
δουλαγωγεῖν *volentes: nec* ταπεινοφροσύνης
aut saltem μετριοφροσύνης, *per quam de*
agnoscendo tandem suo principe cogi-
taret, sed potius ὑψηλοφροσύνης *Hispani-*
cæ, (quam quidam, quum e spectatori-
bus unus fuisset, perstringẽs, dixit, Cel-
tiberiam in media Parisiorum ciuitate,
non sine stupendo prodigio, superbe in-
ambulantem uisam esse) necnõ κενοφρο-
σύνης, *haud minus Hispanis plerisque*
ingenitæ, exempla multa illi præbẽtes.
Sed ecce, illi qui δουλαγωγεῖν *Galliam*
voluerãt, omnes ad unũ δουλαγωγεῖσθαι,
& aliquid etiam multo peius pati po-
terant: nisi rex noster, non solum hostes
sed suam quoque in hostes iram vincere
solitus, etiam erga illos, clementia pror-
sus indignos, eam vicisset.

Quod Gallica liga aduersus hunc
quoq;

quoque, verum & legitimum Galliæ regem, molita est, Hispanico auxilio freta: idem secta antiquaria, quæ tandem (proh dolor) euasit in gentem magnam, ac quæ quotidie magis magisque fit populosa, aduersus florentis Romæ Latinitatẽ, veram & legitimam Latini eloquii reginam, molitur. Vt enim Gallica illa liga suum regem suo detrudere e solio conata est, ita hæc de qua loquor antiquariorum secta reginam illam e suo & vere auito deturbare conatur. Vtinã igitur, quemadmodum similis huius sectæ conspiratio & coniuratio est, ita idem sectatorum, qui colligatæ illius multitudinis Gallicæ, sit exitus. Vtinã vero & illis quorum potißimũ autoritate illa secta nititur, idẽ eueniat quod illi tabanorum examini, (Hispanorum agmini volui dicere) cuius auxilio illi aduersum regem suum

colligati freti erant.

Proximum autem fuerit, optare vt exemplo ligæ illius ista antiquariorum secta moueatur, & ex alienis malis sapere discat. Quod absque dubio factura est, si consideret quomodo liga illa, vario malorum genere (iusto pertinaciæ suæ præmio) conflictata, tandē ligamina & amenta omnia, omnes quæ momenti alicuius erāt compages amiserit: quum mature, non autem sero (cū Phrygibus) sapiendo, ac tempus illud anteuertendo, magnam tantorum malorum partem anteuenire simul potuerit.

Sed meo isti bene monenti consilio obsequutura sit necne illa antiquariorū peruicax, pertinax, cōtumax, refractaria secta, incertum est: interim vero, quum pro mei ingenii iudiciique viriculis, florentis Romæ Latinitati, quæ vera & legitima eloquii Latini regina est,

est, suppetias ferre vellem, nihilque antiquius haberem, quam antiquarios antiquare, (eosque præsertim qui minorum sunt gentium) hanc palæstram instituí: non sine multorum etiam, quorum in præcedente epistola mentionem facio, rogatu. In hac palæstra duos committo: vnum, nomine Kænophilum, siue Philokænum, (id est, Nouitatis in sermone amatorem) reginæ illi infensissimum, ac eius hostem acerrimum: alterum, nomine Misokænū (id est, Nouitatis osorem) illius reginæ amantissimū, studiosissimū, obseruātissimum. Quum autem vterque nomē ex re habeat, sicut Kænophilus subinde peccat nouitatis amore nimio: (siue nouus sermo sit, reuocando in vsum ea quæ non tantum antiqua, sed obsoleta quoque sunt: siue ex eo nouus, quod e scriptoribus sumptus sit, qui, si eorū seculū cum aliorum

seculo conferatur, noui dici possunt) ita vicissim Misokænus, nimio nouitatis odio. Atque vt ille suo nouitatis studio plurima aduersus eam reginā præ contemptu audet: ita hic interdum, præ nimia quam illi præstat reuerentia, circa nouitatē tuta etiam omnia timet. Ita fit vt interdum ipse non tam pro palæstrita me gesserim aduersus Kænophilum, *licet communem aduersarium, quam Palæmonis, cuiusdam præsidis palæstræ, officio functus sim. Sed quid opus est pluribus? ex eo quod sequitur carmine, res tota tibi patebit: simulque cogitādum relinquetur, an aliud quam quod propono temperamentum inter vnius nimium nouitatis amorem & alterius nimium odium, inueniri possit.*

QVID fiet istis adeo dissidentibus?

Quē finē habebit ista velitatio?

Quem

Quem finem habebit iſta digladiatio?
Nouitatis vnus cupidus antiquarię,
Atque nouitatis alterius haud eſt minus:
Nouitatis alter penitus omnis oſor eſt:
Olet male illi, prorſus éſtque putidum
(Ceu virus aliquod) olet quod hãc pauxillulum.
KÆNOPHILVS inde ſiue PHILOKÆNVS eſt
Aptiſſimo vnus nominatus nomine:
At MISOKÆNVS ſiue KÆNOMISVS eſt
Vocatus alter, nomine haud apto minus.
Natura fiet (eſſe nam nondũ putò)
Vtriq;, quod erat ante cõſuetudinis:

Nj præuenire dabitur hoc tantum malum.
Sed quo remedio præuenire ſit potę?
Vllius eſt ſi remedij capax malum,
Haud aliud iſto dixerit quiſquam, vt reor:
Qui Philokænus, Semimiſokænus, is,
Et eſſe Semiphilokænus vt queat
Qui Miſokænus purus & putus fuit.

Addam aliud multo breuius carmen: vnde meam de Latinitate ſententiam ſub eorũdem palæſtritarum mentione perſpicias.

Latinitati ſit aliqua libertas velim,
Licentiam illi neutiquam conceſſerim.
Kænophilus hac vtitur, in hac ſibi placet,

Non

Non audet vti Miſokænus altera.
Ne par tamen peccare peccatum
puta.
Veniam meretur Miſokænus, haud
item
Veniã mereri Kęnophilus creditur.

Cæterùm axioma, quod cõplectuntur duo primi huius carminis verſus, non dubito quin omnes legitimæ Latinitatis legitimam ſaltem cognitionem adepti, non probaturi ſolum ſed vtroq; pollice ſint laudaturi. Id ego antea hiſce duobus phaleuciis comprehẽderam,

Libertas volo ſit Latinitati,
Sed licentia nolo detur illi.

Elige e duobus iſtis diſtichis vtrum males: optionem tibi do. Sed aut valde fallor, aut ſcio vtrum males. Vale.

EIDEM LECTORI.

QVVM iam, lector, de tibi valedicendo, teque dimittendo, cogitassem, immo, quum iam, tanquam te eo ipso temporis puncto dimissurus, valedixissem: aliquid Epimetheo, non Prometheo, conueniens, mihi vsuuenisse comperi: quũ id quod ante mens suggessisse debuerat, nõnisi post suggessit erit. Sed multis hoc quotidie vsuuenire nescius non es, fortasse etiam mali eiusdem tibi conscius. Eoque magis in spem veniæ a te impetrandæ venio.

Sed quidnam illud est (rogas) ad quod tibi suggerendum mẽs nimis lente festinauit? Mihi excusatione apud te opus esse, quod meo promisso de edendis historicis celeberrimis, Polybio & Diodoro, necnon de meis in Thucydidem & Xenophontem nouis lucubrationibus,

bus, tibi non satisfacio. Dices enim (vt auguror) bene quidem interea esse a me collocatã operam in scriptione huius libri, sicut & in aliorum quorundam: sed non debere tamen huiusmodi scriptionibus ita immorari, vt tamdiu illa tanti momenti opera remorentur. Hæc enim, aut talia, quum te mihi merito obiecturum esse sciam, & me de promissis illis non minus quam de debitis, teneri fatear: saltem excusem me necesse est, atque ita verbis tibi satisfaciam, (si quid satisfactionis subesse his dicendum est) donec satisfacere re ipsa detur.

Audi me igitur, quæso, ad singula quæ proposita fuerunt, ordine respondentem. Ad Polybium quod attinet, iam inchoata fuit eius editio: sed ob quandam, cuius spes facta est, accessionẽ ad ea eius scripta quæ hactenus prodierunt, fuit intermissa. Diodorum

Siculum (qui & antea ex mea officina prodiit) quum viderem longe aliam quam quæ vulgo in manibus versatur interpretationem Latinam postulare: quendam oraui vt interpretis officio fungi huic scriptori vellet. Et quidem ita oraui vt exorauerim.

Ad Thucydidem vero & Xenophontem vt veniam, tantum abest vt non sim in meo de iuuãdis eorum lectoribus proposito pertinax, (nam & in bonam hoc vocabulum partem accipi, in mea de illa antiquaria Latinitate palæstra, aduersus Accium & Nonium, probaui) vt ab eo quo id me facturum promisi tempore, promptior voluntas fuerit. Sed iam factæ promptiori voluntati stimulũ addidit quæ nuper prodiit Thucydidis & Xenophontis editio, vtraque lectoribus fucum, vtraq; mihi furtum faciens. Nisi quis furtum esse

esse negare potest, aut etiam plagium, literariũ alicuius laborẽ furari. Maius tamẽ furtum ne esset, illud meæ procrastinationis malum (vt aliquid boni interdum ex aliquo malo nascitur) obstitisse comperi: ideoque mihi de mea illa procrastinationesũ gratulatus. Si enim promissas illas tum meas tum aliorum lucubrationes edidissem, non minus in hunc meũ laborem & hic & ille trium literarum homo inuasisset, eodemque modo in illis multa sibi non intellecta deprauasset. Verùm & alia de re mihi sum gratulatus: nimirum quod ille Xenophontis interpres Lewnclaius in recognitione suæ interpretationis, cum quo scriptore sibi res esset, minus quã antea cognouerit, ac idiomatis huius scriptoris & sui officij oblitus fuerit: interdũque bonam interpretationẽ suam mala sua mutauerit. Vnde factũ est vt multo

latiorem campum meis in hunc scriptorem lucubrationibus aperuerit. Quid lector? nonne hæ ambæ φειπέτειαι, *miræ quidem certe, tibi quoque gratulandi mihi materiem præbebunt?*

Quum tamen nõ hac de causa (quis enim præuidere illa potuisset?) fuerim illius mei promissi ὑπερήμερος, *ideoq; illa, tanquã mihi patrocinantia, in medium afferre nolim: rogo vt ea quæ ad me excusandum attuli, pondere carere apud te nolis. Ea tamẽ conditione, vt, quæ in illos scriptores (fauente Deo opt. max.) præstabo, materiem tibi præbeãt dicendi, & quidẽ nõ semel dicendi,* Grande moræ pretium. *Vale. Francfordij,* Anno 1595, Aprilis 12.

DE LIPSII LATINITATE (vt plerique Latinum Lipſij ſtylum appellant) PALÆSTRA PRIMA

HENR. STEPHANI,

neque Lipſiomimi, neque Lipſiomomi, neque Lipſiocolacis: multóque minus Lipſiomaſtigis.

In hac PALÆSTRA multa non vulgaria vulgi literatorum linguis de ea digladiantibus opponuntur.

PALÆSTRÆ I. PRÆLVDIVM.

Palæſtritæ tres,
CORONELLVS, KAENOPHILVS, MISOKAENVS.

CORONELLVS. Papæ, papæax, tam mane! Quod genus hoc hominũ? KÆNOPHILVS. Matutinarium hominum genus, & pluſquam matutinarium. Magíſne tibi veſpertinarium hominum genus placeret? COR. Audiui ſæpe qui ſe matutinos

aut vespertinos aliquò adueniſſe dicerent: at verò qui matutinarios, aut vespertinarios, me audiſſe non memini. Kæn. Ac nos pariter illo, non hoc, modo loqueremur: ſed matutinum, aut vespertinum hominum genus nos eſſe, haudquaquam diceremus. Cor. Cuiúſnam hominũ generis (nec enim ſatis eſt, matutinarium appellare) partem vos eſſe arbitrer, qui tam matutini eſtis compellatores? Kæno ph. Scio te vocem Interpellatores in pectore habuiſſe, antequam vocem Compellatores in ore habueris. Nam interhæſitaſti. Cor. Quàm curioſus es obſeruator, Kænophile. nam vox quam audio, Kęnophilum ſonat. Kæn. Hominem igitur ſonat, contrà quàm illa Virgiliana. Sed ſiccine curioſus obſeruator audio à te, Coronelle? Cor. Audis: ac, ſi mauis, audies περιέργος obſeruator. Kæn. Mallem, παρέργως, quàm περιέργως, illud à me obſeruatum diceres. Non enim libens audio quod male ſonat. Cor. Sic fit: dum quis dicit quod vult, audit quod non vult. Kæn. Itáne

aliquid

aliquid vallum meorum dentium subterfugit, quod tacendum potiùs fuerat? COR. Non solùm quod tacendũ, sed quod ne cogitandum quidem fuerat. Et verò iudicem te constituo: si modò apud te perpendere velis, quãta existimationem meam labe & macula adspergas, quum me aliud in pectore, aliud in ore habere ais. Si enim dignus sum qui hominib⁹ haud bona fide, quę mens volutat, expectorantibus annumerer, eadem opera in eorum albo ponar licet, quos Homericus Achilles ad Orci portas amandat: amandare quidem certè velle videtur, quum seid hominum genus, non minus quàm illas Orci portas, perosum esse dicat. Nã (si fortè oblitus es) ita ille,

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Quos duos versus varijs olim modis verti: sed de fidelitate memorię dubito. Decem saltem interpretationis modos mihi suggerit: quos tibi, nõ vt interprete opus habenti, sed vt Aristarcho cuipiam, aut Quintilio, proponam. Quæ

prima in mentem mihi venit interpretatio, est hæc,

Orci porta viro mihi non inuisior illo,
Pectore cui clausum est aliud quàm promit ab ore.

Secunda, hæc est,

Haud minus illum Erebi portis me crede perosum,
Qui latebris mentis tegit hoc, lingua insonat illud.

Venio ad tertiam,

Non minus illum ego sum portis exosus Auerni,
Mens cui aliud latebrosa tegit, quàm lingua profatur.

Audi quartam,

Non minus ille odio mihi, quàm Plutonia sedes,
Os cui aliud loquitur, tenebris quàm pectoris abdit.

Quinta nunc ad tuas aures veniet.

Horreo non minus hunc, atri quàm limina Ditis,
Hoc cui in lingua, illud cordis penetralibus abdit.

Sextæ aures patefacito,

Quan-

Quantum iter ad portas Plutonis abominor atri,
Tantum cui lingua hoc promit, mens occulit illud.

Septima eaſdem nunc ſibi vult fores aperiri,

Spectaclum haud eſſent mihi triſtius oſtia Ditis,
Quàm triſte eſt, ori ſua mens cuicunque repugnat.

Quòd magnæ multæque apud Pythagoreos numeri ſeptenarij ſint laudes, verebar ne in eo ſuum (vt ita dicam) curſum memoria mea ſiſteret: ſed animaduerto, illam, fideliorem & liberaliorem quàm ſperaram, vlterius pergere ſtatuiſſe, & ad denarium vſque numerum progredi: qui nec ipſe ſuis apud eoſdē Pythagoreos laudib. (quemadmodum noſti) caret. Hæc igitur interpretatio ſedem octauam tenebit,

Quantum nigri acies horreret ad oſtia Ditis,
Res horrenda viri mihi duplicis ora tueri.

Hæc nonam ſedem occupabit,

Non odi Stygiam magis auersórq; paludem,
Quàm fugio cuicunq; suo mens discrepat ori.

Nisi fortè tibi magis placet *dissidet*, quàm *discrepat*.

Huic decimus locus dabitur,

Quum specto cui mens tegit hoc, hoc exit ab ore,
Esse mihi videor foriũ spectator Auerni.

En tibi ex viginti (si bene memini) interpretationibus, decem. Tuum nũc est eo, quod dixi, Aristarchi seu Quintilij officio fungi. KÆN. Immo, meum esse nõ potest, officio, quod meum non est, fungi. Consulis autẽ Latinæ linguæ honori, quum eorundem versuum interpretationem tot modis variari posse ostendis. COR. Si omnes suppeditare memoria potuisset, duodecim saltem habuisses. KÆN. Hęc variatio à te proficiscens, nec mihi, nec alijs multis res noua est: quum eius egregium specimẽ edideris in selectis è Florilegio epigrammatibus: sed audio, te variarum vnius distichi interpretationum numerum

merum adeò auxisse tandem, vt ad ducentas peruenerint: immo hunc etiam numerum valde superauerint. Itáne res se habet? COR. Etiam. KÆN. Pudeat igitur Fabium Quintilianum de Latinæ linguæ inopia queri. Eam certè illa variatio refellit. Ideóq;, quum tu quibusdam Latinis vicissim varias interpretationes Græcas dederis, ego semper operam à te illic præstitam magis laudaui: quum tam diuitem esse linguam Græcam cõstet, (ijs quidem certè qui in illa valde sunt exercitati) quàm nonnulli Latinam esse inopem conquesti sunt: ita vt eius inopiam velut deplorarint. Verùm, quod ad illos Homeri versus attinet, voluissem vnam etiam interpretationem videre, cui illa Salustij verba, quæ Homericis respondent, adhibita fuissent: *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere.* COR. Crediderim, ex ijs quas recitaui, aliquas, aut saltem aliquam, non minus placere plerisq; (naris etiam emunctæ) lectoribus posse: vt tamen tuo desiderio hac etiam in re satisfaciam, tentabo

& hoc præstare. KÆN. Aliquod tibi temporis spatium, vel potius spatiolum (nam te hoc contentum fore scio) dabo, interim in proximo cœnaculo deambulaturus. COR. Id si præstare potero, statim præstitero. KÆN. Miror, me tam citò à te auocari, antequam vel ter cœnaculum illud sim emensus. Quid? iámne illam interpretationē ad finem perduxisti? COR. Perduxi. KÆN. Vno igitur eodémque tempore & cœpisti & absoluisti: vel (vt breuius loquar) ex tempore scripsisti. COR. Nimis citò fortasse scripsi. nam non sat bene fortasse. Sed tuum erit iudicium; ideóq; audi:

Illum auersor ego, nigras Acherontis vt vndas,
In lingua est cui promptum aliud, quàm pectore clausum.

KÆN. Minori desiderio meo satisfeciſti, in hac verborum Salustij ad Homerici versus interpretationem accommodatione. COR. Sed maiori desiderio meo nōdum à te satisfactum est. KÆN. Quod mihi desiderium narras?

COR.

COR. Quasi verò iam oblitus sis meæ tecum expostulationis, quòd non aliter de me loquutus sis, quàm de eo in quem illa Salustij verba iactari possent, *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere.* KÆN. Vtinam mihi de illis Salustij verbis altum potius silentium fuisset: nec te rogassem vt ea interpretationi Homerici versus aptares. Fortasse enim eorum mentione illam expostulationem in memoriam reuocaui, quum alioquin obliuioni eam tradere iam cœpisses. COR. Cum tam obliuioso scilicet homine res tibi est. KÆN. Sed cur (quæso) mea illa, de quibus quereris, verba tam altè in pectus tuum descenderunt? Nam in Salustij mentione Salustianum illud genus loquendi, non minus vllo alio Salustiano insigne, mihi venit in mentem. Times scilicet ne, hinc sumpto initio, alia quoque in Catilinam à Salustio iactata, in te pergam distringere. COR. Immo timendi, quod antea non timueram, occasionem mihi præbes: simúlque allucinari tuam memoriam

ostendis. KÆNOPH. Quid ais? COR. Id quod audis. KÆN. De Catilina dicere illa Salustium negas? COR. Et nego, & semper negabo. KÆN. De quo igitur ita loqui eum dicis? COR. De nullo ita loqui eum aio. KÆN. Atqui hæc eius esse verba haud negasti. COR. Quid tum? KÆN. Quis non dixerit te ἀσύσατα loqui? COR. Non ἀσύσατα, sed vera loquor. KÆN. Ergo ψιφώδη quædam. COR. Immo quæ vix ψιφώδη appellare liceat. KÆN. Qualiacunque hæc sunt, ne, quæso, menti meæ tantum negotij facessito, se iam omnes in partes vertenti, nec tamen vllum effugium inuenienti. COR. Illius me miseret, nodum (quod aiunt) in scirpo quærentis, vel potius inuenientis. KÆN. De hoc fidem tibi non habebo, nisi, quàm verum sit, ostenderis. COR. Attende igitur. De nullo ita loqui Salustium aio: sed non etiam dico, de nulla. KÆN. Atqui solemus, quum volumus in tali sermone ἁπλοΐζεσθαι, sub masculeo genere fœmineum etiam comprehẽdere. Sed quænam, obsecro, illa quam Salustius

ita

ita perſtringit? COR. Magna quædam domina. KÆN. Hoc reſpondere, eſt nihil reſpondere. COR. Addam quo reſtringatur quod dixi: ne tuæ menti per tot magnifica gynæcea, ſiue magnificas gynæconitidas, ſit diſcurrendum: ac dicam, perſtringi illis Saluſtij verbis magnam quandam dominam, ſed quæ magna apud probos infamia laborat. KÆN. Magnum ſcilicet menti meæ adiumentum ad reperiendam tuam illam magnam dominam, præbes. O quàm amplum, vel potius vaſtum, implerent campum magnæ dominæ quæ magna infamia laborant. Eodem igitur mentem meam adiuuas modo, illa tua adiectione, quo ego te iuuarem, ſi poſcenti quod pedibus tuis ſupponeres (vt fit, quum quis ſe alioqui videt pertingere quò vult, non poſſe) chartæ folium, vt vulgò appellamus, afferret. COR. Atqui hoc eſſet te irridere. KÆN. Quidquid hoc eſſet, crede mihi, mentem meam non aliter tuam illam adiutricem reſponſionem interpretari. COR. Ad alia igitur adminicu-

la veniendum mihi est: atque, vt id faciam, magnam esse dominam dico, sed quæ sui sit impotens. KÆN. Hui, quasi verò non & harum magnus sit numerus. COR. Est domina quæ non alia quàm potentiorum limina terere consueuit. KÆNOPH. Magna est harum quoque multitudo. COR. Est domina quæ multos mortales fieri falsos subegit, ac quotidie subigit. KÆN. Non iam Daui, sed OEdipi mentem habere mihi videor: ac dico, dominam illam esse eam quæ Auaritia vocatur. COR. Adhuc mentem Daui, nondum OEdipi, habes. Addo igitur, hanc dominam multis mortalibus persuadere, amicitias inimicitiásque non ex re, sed commodo, æstimandas esse. KÆNOPH. Quàm bellè, quàm verè hoc quoque de Auaritia dici potest. COR. De illa tamen haud loquor. KÆN. Tot igitur auxiliis, sed quæ mihi non auxiliantur, addas alia velim. COR. Est domina quæ multos mortales euehit. KÆN. Vtinam ab his verbis initium sumpsisses: nec mihi, nec tibi tantum negotij exhibuis-

hibuisses. Iam me OEdipum, non Dauum, esse scio. Scio, illam de qua tibi sermo est dominam, esse Fortunam. COR. Scio te triumphum ante victoriam canere, dum te hoc scire dicis. KÆN. Egóne triumphum ante victoriam cano? COR. Canis. KÆN. Atqui negari non potest, Fortunam multos euehere atque extollere, sicut etiam multos deprimere: ac verè dictum esse ab Horatio,

O diua, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

COR. Non est cur mihi testem laudes Horatium, (ex quo alioquin afferri eodem pertinentes loci possunt) vel quẽpiam ex alijs multis, quorum testimonijs, quod de Fortuna dixisti, probare facile tibi est. Sed quid probatione apud non negantem opus est? Scio, peruersam hanc opinionem apud ethnicos inualuisse, & in Christianorum etiam multorũ mentibus, (magno Christianismi opprobrio) videri radices egisse, Fortunam & extollere, & de-

primere : & quidem non ratò in vno eodémque vtramque paginam facere: sed de hac tamen magna domina (vt eundem, quem illi, titulum ipsi dem) minimè loqui volui. KÆN. Perge, obsecro, mihi ita adminiculari, vt, si in viam non deducas, saltem viam ostendas à qua in ipsam viam deducar. COR. Nõ tibi deero: sed videat tua mens ne sibi ipsa desit. KÆN. Vix credas quàm acriter suam omnem aciem intendit. COR. Est domina quæ multos homines euehit, (vt ante dixi) sed docens illos obsequio & assentatione grassari: quæ suorum bonorum dulcedine ebrios, sed nunquam contentos, suos reddit. KÆN. Non video quid obstet quominus hoc quoq; de Fortuna dicatur. COR. Ex fortunæ etiam ludis vnus esse hic dici possit: sed à me tamen de illa domina nõ agitur: verùm de quadam quæ dulci fortuna ebrios reddere dici potest. KÆN. Memini me apud Horatium legere, *dulci fortuna ebria:* ideóque meam eo de loco solicitare volo memoriam. Aliquid enim is fortasse osten-

ostendet quod mihi viam ostẽdat. Iam suo incipit illa fungi officio: iam recordor, Horatiũ de Cleopatra hæc canere,

—dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunáque dulci
Ebria.

Sed nihil inuenio hîc quod mihi viam monstret. COR. Hoc sciebam euenturum: sed tacere, satius existimaui. KAEN. Perge, obsecro. COR. Est domina quæ cuicunq; imperat, de eo verè dicitur,

Huic quo plus potæ, plus sitiuntur aquæ.

KÆN. Ignosce si eò reuertor vnde me depulisti. Iterum enim audio quod facit vt te de Auaritia loqui persuasissimũ habeam. nam Auaritia illud, quod dixisti, in auaris facit. COR. Iterum in tua de Auaritie coniectura falleris. KÆN. Tibi fidem habeo. Sed quid sibi volunt (da veniam quòd sermonem interrumpo) isti tui verè Plautini oculi?

Cor. Immo quid sibi vult quod loqueris? ijdémne oculi duobus seruire dominis possunt? ijdémne & mei & Plautini esse queunt? Kæn. Quasi verò te lateat, quos ego oculos nominem Plautinos. Cor. Quasi verò vllum hactenus fuisse verisimile sit, qui me hoc docuerit: vllum, inquam, siue loquentem siue mutum magistrum. Nam quod onomasticum, vel (si Græcè hic loqui haud necesse est) quod vocabulatium Plautinos oculos mihi exhibebit? id est, quid Plautinorum oculorum appellatione intelligatur, me docebit? Kæn. Proh, quantum quàm paruà in re laboras: vel potius laborare te fingis, atque (vt ex Latinis quidam loquuti sunt) delicias facis. Libentius tamen vna voce Græca te τρυφᾶν dixissem: nisi te scirem non libenter Græca vti lingua, vbi Latinæ satis locuples est penu. Cor. Isto tamen Græco verbo ideo non offenderer, quòd Latina, velut id interpretans, illo genere loquendi vsa sit, *Delicias facere*: quinetiam quòd ab eo, vel potius ab eius siue cognato

siue

siue agnato τρυφᾶν, habeamus in sermone vernaculo verbum *truffer*, & nomen *truffe*. KÆN. Sed vocis Græcæ in sermone Gallico vsus (vt certè Gallos plurimis Græcis vti, vel ex quodam tuo commentariolo, iuuentutis vel potius adolescentiæ tuæ fœtu, cum à me, tum ab alijs innumeris disci potuit) quid autoritatis ei daret qui Græcam sermoni Latino intermiscere vellet? COR. Apud Gallos aliquid fortasse autoritatis dare posset: verùm cur & apud alios eandem potestatem haberet? Quod tamen ad vocem illam *truffe* attinet, à nobis ex Græco τρυφᾶν factam (nisi potius ex τρυφᾶν factum esse primùm verbum *truffer*, deinde ex hoc nomen *truffe*, dicendum sit: quum alioqui vicinior sit ex nomine τρυφὴ deductio, sed significatione minus conueniente) eam Latinitati quoque afferere maximæ autoritatis iurisconsultus potest. KÆN. Quis ille est iurisconsultus? COR. Vnus ex tot vtriusque iuris monarchis. KÆN. Sed eiúsne autoritas tanta est vt vocem *truffa* Latinitati

valeat asserere? COR. Quidni? is enim est Baldus. KÆN. Quo potest modo id præstare? COR. Suo exemplo. nam ipse vsus est non semel. KÆN. Immo non magnæ autoritatis exemplum affers: nec verò afferre possis, etiamsi multi loci in quibus eo vsus sit, proferantur. Ac minimè dubito quin aduersus id iactari possit istud Horatianum, à multis, Coronelle, allatum,

Nil agit exemplum quod litẽ lite resoluit.

Sed iocari (hoc mihi non negabis) voluisti. COR. Alia huc ad sermonem spectantia, siue ioco, siue seriò, aliâs à me dicentur: verùm te vicissim ad tuum de Plautinis oculis iocum repedare quamprimum velim. Sed ô quale meo excidit ore verbum *repedare*! Ignosce (quæso) si in mentione antiqui illius scriptoris antiquum verbum non solùm in mentem sed in linguam etiam venit. Cæterùm scriptorem hunc cùm aliorum oculorum, tum verò miluinorum facere mentionem quidam scribit: an de illis quod à te dictum est intelligi debet?

KAEN.

KÆN. Adrem ipsam, propter quam ita loquutus sum, venire volo. Spero enim fore vt, ea intellecta, vocabuli Plautini reminiscatis. COR. Rem gratam facies. KÆNOPH. Te interrogaui quídnam sibi vellent tui verè Plautini oculi: quòd viderē te oculos in omnes vtriusque cœnaculi partes emittere, vt ita loquar. COR. Iam me non solùm in viam, sed ad rem ipsam, deduxisti. Iam scio te Plautinos oculos dicere quos Plautus emissitios appellat. KÆN. Scopum attigisti. COR. Nimium tamen nouo & dubio genere loquendi vsus mihi videris, quum tales oculos Plautinos vocasti. Ne Lipsius quidem ipse, vt opinor, ita loqueretur. At de persona quapiam cuius mores à Plauto describantur loquentem, Plautinam nominare, veterum etiam exemplo, possumus: & Plautinum senem, Plautinum iuuenem, vel adolescentē, Plautinam puellam, Plautinam meretricem, Plautinum lenonem, Plautinum parasitum dicere. KÆN. Quid mihi veterum exemplum narras? non satis liberam (vt

ita dicã) libertatem Latinitati à te concedi, dicere propemodũ ausim. COR. Hominem, vt nomine, ita etiam re ipsa Kænophilum, sic loqui nihil miror. KÆN. Hoc tamen quidquid est quod tibi expectoraui, eliminari à te nolo. COR. Lipsium audire mihi videor. KÆN. Ea certè quæ facta fuit à te Lipsij mentio, talia & pectori & ori verba immisit.

COR. Ad oculos Plautinos, id est, emissitios, redire cogor, ac tibi fateri cur ita meos in omnem vtriusque cœnaculi partem oculos emitterem. KÆN. Cautè agis, ac tibi consulis in eo quòd mihi fateri illud velis. scis enim ignoscendum esse fasso. COR. Fateor me omni oculorum contentione inuestigare illum qui tecum huc ad me venit: vnde etiam factum est vt non aliter quàm duos alloquens loquerer. Quid si tamen mei fallebantur oculi? Si res ita se haberet, dicendum mihi de meis oculis esset,

Nec satis exactum est, corpus an vmbra foret.

Sed

Sed illi in tenebras, aut saltem in tenebrarum reliquias, culpam conijcerent. Illa enim diei hora minimè aliam illis excusationem suppeditaret. At post prandium in quo poculis egregiè certassent, ac victoriam tandem adeptus essem (si ex illorum militum cohorte forem) dicerent forsitan *& geminum solem & duplices Thebas se ostendisse ipsis*, à me corruptis. KÆN. Itáne auderes vllo oculorum patrocinio fretus, in dubium vocare, an duos tuum cœnaculum acceperit? Iam nunc certè occlamare incipiam,

O qui cepisti nos duo, redde duo.

COR. Pone aliquod scamnum, aut aliquem abacum, aut tapetem, se abscondit, vt opinor. KÆN. Nihil curo tuum istud Opinor. redeo ad illam cantilenam,

O qui cepisti nos duo, redde duo.

COR. Tam citò eandem cantilenam recinis? KÆN. Quidni recinerem? COR. Quid si adduxisti tecum aliquē qui ἀόριστον aliquando fiat? KÆNOPH. An me dæmonem adduxisse mecum ali-

quem suspicaris? an mihi cum isto genere animalium aliquid esse putas cõmercij? COR. Hoc ex meis inferre verbis haud potes. quid si enim sit dæmon quem tu hominem esse putes? KÆN. Atqui dæmones sunt incorporei. COR. Iocari volo. KÆN. Iocari simul & nugari vis: sed interim seriò à te quærendus, & seriò à te inueniendus est meus comes. COR. Tuam illam cantilenam de reddendis duobus, quòd duos acceperim, nihil curo. Hoc meũ cœnaculum duos cepisse, dicere potes fortasse: sed eos meæ fidei ac custodiæ te commisisse, dicere haud potes. Quid si verò id ei contigit quod multis contingere videmus? vt infirmitas humana aliquid ei immiserit propter quod se subducere coactus fuerit, paulo post reuersurus? KÆN. Quid si verò nihil tale contigerit? quæ tandem tibi καταφυγὴ restabit? hæc enim vna tibi reliqua erat.

COR. Meum fuerit tum mihi prouidere: tu *mitte hanc è pectore curam*. Sed velim vt interim in cubiculum, vel potius, cubicululũ, quod est in angulo alterius

terius anguli, concedamus. Ibi enim aliquid est nouorum è nundinis Francofordiensibus librorum, non minus mihi quàm tibi inuisum. KÆN. Nihil est quod sim facturus libentius. I præ, sequar. COR. Vix alios quàm quos dixi libros videbis. KÆN. Spe igitur mea excidam. bibliothecam enim, aut bibliotheculam saltem, visurũ me sperabam. COR. Immo, præter illos quos dixi, vix alios quàm quos commodatò ab amicis accepi, videbis. Nam quomodo vel minima bibliothecæ meę pars peregrinari mecum posset? Sed cur te auertis? KÆN. Sensi aliquem scalę gradus ascendere. Suspicor esse illum meum comitem, de cuius absentia sumus tam anxij. Solet enim gradus hoc modo, nimirum tanquam per saltus, ascendere. Αὐτόματον. COR. Quum Latinum *ipsissimus* apud Plautum habeas, cur illud vocabulum à Græco sermone mutuaris? KÆN. Dicam igitur esse ipsissimum. COR. Egrediamur, atque illi obuiam progrediamur. Estne aliquis mihi notus? KÆN. Tam bene quàm tibi sum

notus. COR. Quod illi est nomen? KÆN. Nomen ei est siue Misokænos, siue Kænomisos: sicut meum non minus est Philokænos, quàm Kænophilos. Nã hoc genus nominum est (quemadmodum nosti) ἀντιστρόφων, siue ἐξ ἀντιστρόφου. COR. Si est is quem dicis, est mihi notissimus: sed eum nondum agnosco. KÆNOPH. Agnosces quum paulo propius accesserit. COR. Nondum agnosco. KÆN. Statim agnosces. miror autem, eum, quum modò tam velociter scalam cõscenderet, nunc myrmecino quodam gradu incedere. COR. Iam admonitus à me fuisti semel atque iterum, non intermiscendam esse Græcam vocem vbi Latina lingua ei respondentem suggerit. KÆN. Iam oblitus eram huius admonitionis: sed dabo operam vt meæ memoriæ penetralibus infigam: ac nunc pro illo myrmecino gradu, vel formicino, vel testudineo substituam. COR. Ne nunc quidẽ illum agnosco.

MISOKÆNOS. Salue mi Coronel- Salue tu quoq; mi Philokæne. COR. Credisne credere meis debeo, esse te Miso-

Misokænon? PHILOK. Credere certè debes: nisi fortè à pauculis mensibus, à quibus eum non vidisti, aliquam Ouidianam, aut Ouidianis similem metamorphosin est passus. COR. Nunc tandem illum agnosco. Aliquid tamen mutationis ei accidit: verùm haud metamorphoticæ. KÆN. Quæ illa est? quæso. COR. Quòd fuscus factus sit. KÆN. Sol illum torruit. COR. Solem torruisse illũ, dicere haud ausim. quid enim amplius de Æthiope dicerem? KÆN. At Tibullus tamen de fuscis quibusdam ita loquitur,

Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.

Poterat alioquin (vt vides) vel nigri vel atri dicere. COR. Non igitur fuscum sed subfuscum tantummodo factum fuisse dicã nostrum Misokænon. KÆN. Beasti Coronellum tuo aduentu Misokæne. Illum enim, quum esset tuum cœnaculum ingressus, volebam mihi à te reddi. Ac, quum non haberet alioqui quod responderet, ad varias technas, strophas, & machinas cõfugiebat.

Obiter autem te rogabo Coronelle (etiamsi nunc sim tui accusator) vt me & nunc admoneas an putes me cum bona Latinitatis venia illis vocibus Græcis esse vsum, quum dixi technas, strophas & machinas. COR. Quidni cum bona huius venia vsus illis esses, quum inter Latinas à tam multis seculis locum obtinuerint? apud comicos tamen præsertim. KÆN. Nunc verò interrogare Misokænon de re longè diuersa volo: quónam modo disparuerit: aut saltem ita se siue subduxerit siue subtraxerit, vt id neque à Coronello neq; à me animaduersum fuerit. MISOK. Quum vos auersos viderem, paulum à vobis abscessi: (tenebris etiam aliquid ad hoc adminiculi præbentibus: quum candelæ lumen tam longè se extendere non posset) & pone tapetem latui. KÆN. Sed quid tibi venit in mentem, vt quærendas esse latebras putares? MISOK. Quum vos statim ad altercationem venire animaduerterem, & habere suspicarer quæ remotis arbitris loqui malletis, pone tapetem (vti

(vti dixi) me abscondi sperans futurum vt finita velitatione vestra, inde repentè prosilirē, ac tanquam ille Dauus Horatianus, exclamarem, *Iamdudum auscultо.* Verùm quum longè quidem progressi iam essetis, nondum tamen ad finem perueniſſetis, quiddam mihi (quæ est humana infirmitas) superuenit, quod redire domum coegit. KÆN. Dic, obsecro, quænam erant illa quæ duobus illis verbis, *Iamdudum auscultо,* adiungere statueras. MISOK. Primùm, illum Horatianæ cuiusdam satyræ versum primum, vnà cum principio secūdi, imitatus eram per parodiam, minima mutatione facta. Nam quum hęc sint Horatiani Daui ad dominum suum verba,

Iamdudum auscultо, & cupiens tibi dicere seruus
Pauca, reformido:

ego ita imitabar,

Iamdudum auscultans vobis ego dicere amicus
Pauca, reformido.

KÆN. Sed quænam huic præfatiunculę

subiuncturus eras? MISOK. Postquam mihi potestatem loquendi feciſſetis, (scio autem vos eam statim fuisse facturos) illa duo prima verba Horatij eram repetiturus: & paucula subiuncturus: hoc modo, *Iamdudum auſculto: & ſanè auſcultaturus eram diutius: ac fortaſſe vſq; ad fabulæ cataſtrophen: ſed non ſine magno interim labore captiuum quendam intra me retineo, qui ſplenis præſertim mei compedes eluctari conatur: de fuga cogitans, qua ſuum hoſpitem proditurus eſt.* KÆN. Quod aliud responsum ad hanc oratiunculam te accepturum fuisse putas, quàm istam? nos esse Dauos, non OEdipodas. COR. Immo ego hîc ex Dauo statim OEdipus factus fuissem, vt opinor: & ænigma soluissem. KÆN. De quo igitur captiuo loqui illum suspicatus fuisses? COR. De Risu. KÆN. Assentientem me tibi habuisses confestim. COR. Sed vnde fiebat vt captiuus ille tanto fugam à te arripiendi & in medium prosiliendi desiderio teneretur? MISOK. Quòd in sua palæstra, si antea vnquam, versaturus sibi videbatur. COR. Sic igitur nostra

πάλη

πάλη (omnino enim hominum παλαιόντων fuisse fateor nostram altercationem) suam Risui πάλαισμαν aperiebat: quantum ex te intelligo. MISOK. Rem acu tetigisti. Atque (vt iam simplicius, apertius, familiarius omnia eloquar) quòd tam bellè & tam diu hanc fabulam sub altercationis specie agebatis, vnus, simulantis, alter, dissimulantis personam sustinens, faciebat vt tantam in arte histrionica, vobis noua, patientiam mirarer. Atque (vt vno verbo absoluam) quanto vos magis bellè risum continebatis, tanto minus facilè eum continebam. Cui tamen operi machinas omnes adhibebā: quòd captiuum illum repente prosilientem, continuò tam lepidæ fabulæ interpellatorem futurum sciebam. CO R. Miror fieri potuisse vt tamdiu esses ἐχέγελως: præsertim quum sis alioqui φιλόγελως KÆN. Mihi, vt homini non tantùm nomine, sed re etiam Kænophilo, ac velut ex re nomen habenti, (vt loquitur Naso) placent ista vocabula: ne tamen dissimulator sim, professus amicum, non tace-

bo, te videri in eo peccare de quo me aliquoties monuisti. Quòd enim Latinè dici potest, id Græcè dicere, atque ita Latino sermoni Græca vocabula intertexere, putidum, aut saltem subputidum, tibi videbatur. COR. Non simpliciter id dixi de ijs quæ Latinè efferri possunt (pauca enim sunt, vel potius pauciſſima, quæ Latinè efferri, per periphrasin saltem, haud queant) sed de ijs quæ Latinè efferri æquè commodè, æquè eleganter aut significanter, possunt: aut saltem ita vt parum sit discriminis. Quum autem æquè commodè dico, ad breuitatem potiſſimum respicio: cui præcipuè studendum esse, inter omnes constat. At quis non videt, quot Latinis verbis opus fuisset ad exprimendum quod duobus illis ἐχέφρως & φιλέφρως expressi? KÆN. Sed duplici libertate vsus es: vna, in adhibendis vocibus Græcis: altera, in eo quòd etiam fingere vnam earum tibi permisisti. COR. Quidni & hoc mihi permitterem, quum posterior hæc libertas alteram illam grauiorem reddat? ac tuſn præ-

præsertim quum, rite seruata analogia, vocabulum quod in satis frequenti est vsu imitamur. Has autē cautiones seruari in illa mea nouatione nemo satis Græcæ linguæ peritus negauerit. Meū enim ἐχέγελως omnino ad exemplum nominis ἐχέμυθος per compositionem factum est. Huius autem vocabuli vsus præterquam quòd non est infrequens, etiam celebritatem aliquam ex celebritate Pythagoreæ ἐχεμυθίας (quum ex ἐχέμυθος deductum esse ἐχεμυθία manifestum sit) adeptus est. KÆN. Sed quidni illo ἐχέγελως contentus, pro φιλέγελως, risus amator, dicebas? COR. Cogitandum ac deinde iudicandum tibi relinquo, vtri sermoni plus gratię insit, istíne *Miror fieri potuisse vt tamdiu esses* ἐχέγελως: *præsertim quum sis alioqui risus amator:* an verò illi, *Miror fieri potuisse vt tamdiu esses* ἐχέγελως: *præsertim quum sis alioqui* φιλόγελως. MISOK. At ego neutro in loco Græcæ linguæ auxilium imploraſſem: sed regiam (vt ita dicam) viam in sermone meo tenuissem. COR. Vt consentanea suo nomini plerunque

loquitur Kænophilus, ita certè tu hîc tuo Misokæne. Te quoque tamen aliquo nouitatis amore titillari, vel illa tua verba, *regiam in sermone meo viam tenuissem*, testantur. Misok. Hanc nouitatem mihi excidisse miror.

Cor. Vt facilius illi meæ digressioni ignoscatur, & Kænophilo pariter ac mihi fraudi fuisse nõ dicatur, tuum illum, quæso, sermonem persequere: & quomodo, in agenda fabula (vt quidem tu nostram illam skiomachiam appellas) vnus nostrûm, simulantis, alter, dissimulantis personam bellè sustineret, ostende. Misok. Tu Coronelle te stomachari Kænophilo simulabas: ille dissimulabat se nosse id quod tamen optimè nouerat, se stomachum tibi non mouisse. Kæn. Vter nostrûm, obsecro, melius personam suam in hac skiomachia gerebat? Misok. De hoc respõsum dare vix possum: sed me aliquid in te desideransse, haud te celabo. Kæn. Quidnam erat illud? Misok. Debueras, quum dixisses, *Scio te vocem interpellatores in mente habuisse, antequam compellatores*

pellatores in ore habueris, ita te excusare, vt tuũ illud Scio verbo Suspicor exponeres. KÆN. Atqui ille hanc expositionem nunquam admisisset, ac esse glossam Aurelianensem, (vt vulgus apud nos loquitur) textus corruptricem, continuò dixisset. Sed cur tibi ad hæc mea verba risus est subortus, Coronelle? COR. Tuum hunc nolo sermonem iterum interrumpere : sed quum ei finem imposueris, huius mei risus causam libenter aperiam. Atque adeo, vt ipse continuationem eius adiuuem, in eo quod ad me attinet : vtque candidè agens, omni simulato sermoni valedicam, haud probo quod Kænophilo das cõsilium. Si enim illud suum Scire verbo Suspicari interpretatus fuisset, per iocum illud ab ipso dici, multo minus persuadere mihi potuissem. Nam qui se scire dicit quod scire haud posse constat, quis non eum iocari potiùs quàm seriò loqui existimet? at qui tantummodo suspicari se ait, quî non contrà seriò loqui potiùs quàm iocari credatur? KÆN. Contigisset profectò quod

dicit Coronellus: ac ego, nihil simulationis sermoni eius subesse, sed ex animo loqui existimans, suspicatus fuissem, quum multis se districtum negotijs videret, ideóque ablegare nos vellet, eius rei occasionem à rixa sibi quærendam censuisse: vt vulgo dicitur, à lasso rixam quæri. MIS. Ne hoc quidem omittã, fallacia vsum esse apud te Coronellũ, quũ illo Salustianæ linguæ telo petitum se cõtenderet. Verùm de hoc alius erit dicendi locus. Cæterùm, quum tandem illi meo sermoni finem imposuero, atque ita promisso meo steterо, te vt vicissim tui (recentis illius quidem) memor esse velis rogabo. COR. Addis *recentis*, vt me eius tam citò oblitum esse non posse ostendas: sed hoc tibi de me persuadeas, etiamsi vetus, & quidem peruetus, foret, me nequaquam obliuioni daturum fuisse. Præterquam enim quòd omne promissum in debitum transit (vt vulgo aiunt) sunt alia propter quæ meam fidem erga te, si erga quem quã alium, liberare percupiam. Sed vnũ est quod

clam

clam te esse nolo, futurum, siquid magnum ex hoc promisso tibi promittas, vt fallaris, & spe excidas: ac illud quod Græco prouerbio dicitur, Thesaurus carbones, in te experiaris. Hæc præfatus, rogo vt recorderis in cuius rei mentione non responsum, sed responsi loco promissum illud à me acceperis. Nã Kænophilo hæc loquuto, *Atqui ille* (de me autẽ loquebatur) *hanc expositionem nunquam admisisset, ac esse glossam Aurelianensem, (vt vulgus apud nos loquitur) textus corruptricem dixisset*: subortum est mihi aliquid risus: quod vix credidissem te animaduersurum: sed contrà & cõtinuò animaduertisti, & quæ esset eius causa interrogasti. Ego me tuum sermonem nolle iterum interrumpere respondi, sed, simulatque illum ad finem perduxisses, eius causam me tibi aperturum spopondi. Ad illam igitur quod attinet, res ita se habet: recordatus sum cuiusdam epigrammatis quòd in Aulum causidicum lusi: vbi itidem glossæ illius Aurelianensis fit mentio. Id si audire tibi placet, conabor in me-

moriam mihi reuocare. MISOK. Quidni mihi placeret? COR. Audi igitur.

Causidicus Aulus quum suam causam
videt
Legis alicuius esse pressam pondere,
Haud crudus (inquit) textus afferendus
est:
Addenda glossa est, esse tam crudum ve-
tans.
(Is nanque ab illa credit hunc velut co-
qui.)
Si cernit aliquam vir idem causam suam
Habere glossam quampiam aduersariam,
Aurelianam clamat esse protinus
Glossam, vnde textus ipse corrumpi solet.
Quid fiet ergo? tertium quid auribus
Auli afferendum est (vndecunque ve-
nerit)
Quod nec vocari glossa, nec textus, queat.

MISOK. Gratificatus es, Coronelle, auribus meis: quæ minimè tam difficiles & morosæ sunt quàm illæ quarum epigramma tuum mentionem facit. COR. Quum initio memoria vix mihi epigramma illud suggerere dignaretur,

tur, tandem, à me multis blanditijs delinita, alia duo eiusdem argumenti mihi obtulit. Eam vt promissum impleat rogabo, si non ingratam tibi eorum quoque recitationem fore intellexero. MISOK. Immo mihi non tantùm gratificaberis, sed supergratificaberis. COR. Incipiam ab epigrammate disticho:

Sese aliqua cernit captum quum lege teneri
Macer, Videnda glossa nobis, tunc ait.

Sequetur tetrastichum, de eodem Macro,

Lege vna obtinuit duo quæ contraria penè
Macer: sed vna non id effecit vice.
Nudum etenim textum cautus vice protulit vna,
Glossámque cautus protulit vice altera.

Potuissem verò & ita loqui,

Crudum etenim textum cautus vice protulit vna,

alludendo ad alterius causidici, Auli, sermonem,

Haud crudus (inquit) textus afferendus est.

MISOK. Non minus placet illud *crudus:* vt in crudo textu ad illam cum cocto comparationem respiciatur, quam in primo epigrammate irrisisti. COR. Næ meam credo memoriam à te quoque gratiam inire velle. Ecce enim & alia tria mihi è suis propemodũ penetralib⁹ depromit epigrammata, in quibus itidem de quodã causidico ad glossam atque adeo glossas, velut suum asylum, confugiente, siue tanquam clypeum quempiam septemplicem opponente, agitur. Quum autem memoriam meam id cæteris addere suspicer, vt tibi gratificetur, (quemadmodum dixi) & ipsum recitabo. MISOK. Audiam & ipsum perlibenter. COR. Nomen causidici, seu aduocati, in quem scriptum à me fuit, est Vbertus.

Vbertus, vt homo est perspicax & prouidus,
Considerare cœpit id prouerbium
De mure & ora quod terunt plebeculæ,
Haud esse tutum cui foramen vnicum:
Effugium

Effugium habere noluit sic vnicum
Ad glossam, habuerat sicut antea vnicũ.
Hinc prouocare nonnisi ad glossas solet.

Secundum (respiciendo ad ordinem quo à me scripta fuerunt) est hoc de eodem & eiusdem argumenti epigramma,

Quum textu ab ipso prouocaret antea
Ad glossam Vbertus, factus est nunc cautior:
Nam prouocare cœpit ad glossas heri.
Cur fidere vni nolit is glossæ rogas?
Vult glossa ab vna prouocare ad alteram,
Ab altera vult prouocare ad tertiam.
Vult pergat isto prouocatio ordine.

Ad tertium accedo, quod & ipsum & in eundem scriptum est, & eadem de re: sic tamen vt non ita cum duobus præcedentibus cohæreat, vt illa inter se cohærent. Quòd si duo illa placuerunt, non minus placiturum istud spero: aut saltem, non displiciturum, si duo illa non displicuerunt. Est autem hoc epigramma iambico carmine scazonte scriptum:

Glossas Vbertus quinq; non habet, vel sex,

Septémve tantùm non habet, decem aut tantùm:
Stipatus harum est agmine ille nunc semper.
Nam glossomachian ille mente nunc voluit,
Intrudere hostis quò cupit sui causam,
Vbi iuguletur: vicerit suam tunc is.

Misok. Veteris vocabulo nouo in quarto versu. Si enim bene memini, ita fuit à te recitatus,

Nam glossomachian ille mente nunc voluit.

Cor. Nouitas huius vocis vix pro nouitate haberi debet in sermone Latino, quũ tam multas iam habeat quæ huius sunt cognatæ. E quarum sunt numero, Monomachia, Theomachia, Gigantomachia. Kæn. Quid sibi vult, Coronelle, quòd memoria tua in gratiã Misokæni tria epigrammata ministraverit, è suis penetralib. deprompta ea quidem: in meam ne vnum quidem ministret? Quî tam ab inuidiæ vitio abhorrere vllus Philokænus possit, vt Kænomiso siue Misokæno non inuideat? Cogita

gita autem, fieri etiam vix posse quin cum aliquo aduersus illum odio hæc inuidia coniuncta sit: quod paulatim crescens, in aliquâ philokænomisokænomachiam (fortasse & gigantomachia, cuius modò mentionem feciſti, maiorem) erumpat. Vt omittam, aliquam odij partem (quod nō præuides) in te esse redundaturā. Vnde enim tuæ memoriæ charus esset Misokænus, siue Kænomisus, potius quàm Philokænus, nisi à te esset ipsi commendatus? COR. Quid ita excandescis, aut excandescere te simulas, Kænophile? Exspectare te paulisper oportebat, illius prouerbij memorem, Quod differtur, non aufertur. Vnum enim tibi reseruabam: quod gratius quàm Misokæno futurum esse sciebam. PHILOK. Cur verò mihi quàm illi gratius? Dicam, vbi ipsum recitauero. Nisi fortè ipsemet (quod spero) eo audito causam huius rei sis animaduersurus. KÆN. Illius epigrammatis recitationem, quęso, ne differas. Mihi enim (vt naturā meam noris) quod differtur, quodāmodo aufertur. COR.

En tibi illud, à superiorum argumento non alienum,

Allata Vberto glossa tota quum fuit,
Effugium & illi præbet eius nulla pars:
Glossator ipse, siue fit glossarius.
(Ista duo voce verba summissa loquor:
Quòd, audiat ea timeo ne Latinitas)
Sed, vt ait, autor illius glossæ fuit
Quidã, memoria cuius haud nomẽ tenet.

KÆN. Verum comperio quod prædixisti: fore vt ipsemet, audito epigrammate, animaduerterem quam ob causam mihi quàm Misokæno gratius futurum hoc epigramma sciebas. Nempe illa vocabula, Glossator & Glossarius eiusmodi sunt, vt meritò suspicatus sis, aures hominis & nomine & re misokæni illis posse suboffendi: vel potius omnino offendi. COR. Non ignorabam, me, vtendo voce Græca Glossographus, posse hoc malum (siquid tamen est mali) in vno eorum vitare: etiam absque alia vlla in eo versu mutatione. Licebat enim dicere,

Glossographus ipse, siue fit glossarius, aut ita,
Glossarius fit ipse, seu glossographus.

sed

sed quũ mutare itidẽ alterum non possem: ac præterea considerarem, vel illud ipsum nomen Glossa, vnde hæc facta sunt, barbarie haud carere: facilius à me impetrarunt illa duo vocabula vt hunc in versum admitterentur. Et verò quod attinet ad Græcum illud nomen compositum Glossographus, est (vt verum fatear) semibarbarum, quum hic vsus illi datur. KÆN. Quomodo semibarbarum? COR. Intelligo, ab vna parte barbarum: & quidem, à priore. Neque enim Glossographus, respiciendo ad verum & veterem vsum nominis Glossa, is est qui scribit quas vulgo glossas, aut quæ glossemata vocamus; sed à quo scribitur de eo vocabulorum genere quæ glossæ seu glossemata nominantur. KÆN. Qualia autem hæc erant? cupio enim te mihi refricare memoriam huius rei. COR. Certis dialectis pecularia, ideóque à communi Græcę linguæ vsu aliena vocabula. Vnde & ξενικὰ, quasi peregrina, appellabantur. Galenus (vt dixi in meo Thesauro Græcæ linguæ) γλῶσσαι peregrina

vocabula, vel obsoleta, esse ait. Cui tamen de hac expositione vix assentiri possum, (quemadmodum in eodem eiusdem Thesauri loco scribo) vt nimis restringente huius vocabuli significationem. Verùm & à Polluce dissentio, poetica vocabula glossas esse nominata scribente. Ab eo quoque dissentio, inquam, vt alteram in partem peccante: id est, nominis huius vsum latius quàm par sit extendẽte. Alioqui enim non parua Græci sermonis portio γλωσσῶν appellatione comprehendi posset. Nec verò Aristophanis loco quem affert, expositio illa confirmari videtur. Aristoteles, vt ostendat quídnam sit glossa, in exemplum affert vocem σίγυνον. Hanc enim, Cyprijs quidẽ propriam, at cæteris esse glossam ait. Cæterùm & Glossemata dictæ fuerunt illæ glossæ. Sed antequam de illo vocabulo plura dicam, volo talionis lege inter Philokænum & Misokęnũ agatur: dum in mentem venit quónam id fieri modo possit. Kæn. Quid tibi vis, Coronelle, cum tua talionis lege? Misok. Eadem

dem de re interrogare te volebam. COR. Vterque igitur eodem impatientiæ morbo laborat, quantum video: ideóque attentas vtrunque pariter aures præbere iam nunc oportet. KÆN. Præbebimus. COR. Paucis, quid mihi velint illa verba, ostendam. Inuidit antea Kænophilus Misokæno: volo nunc Misokæno inuidendi vicissim Kænophilo materiem præbere. Materies autem erunt duo epigrammata mea: in quibus itidem illa glossæ appellatione vtor. Nã, sicut antea, in gratiam Misokæni aliquot epigrammata mea recitaui: inuidente illi Kænophilo: ita volo eandem inuidentiæ materiem Misokæno præbere. Scio enim me Kænophilo satisfacere, vnicum in eius gratiam recitando, non potuisse. KÆN. Ergo erit quædam inuidiæ talio: & quidni dicam retaliatio? COR. Etiamsi de vobis, tanquam absentibus, antea sim loquutus, iam ad te Kænophile sermonem cogor conuertere: vt te peculiariter de eo quod tibi peculiare est moneam. KÆN. Quid illud est? COR.

Me

Me vereri ne supramodum in sermone tuo sis Kænophilus, siue philokænus. KÆN. Scio à te propter illud vocabulum Retaliatio dictum istud esse: sed aliâs à me tibi de illo respondebitur: nunc velim facias vt quam primum mihi inuideatur. COR. Sed alias res interim non agat Misokænus: alioqui enim non haberet vnde tibi inuideret. KÆN. Ego igitur illi altum inclamabo, Hoc age. COR. Cur altũ inclamabis? an tanquam surdo, aut saltem surdastro? KÆN. Saltem voce summissa non vtar: Misokæne, hoc age. MISOK. Kænophile, siue Philokæne, res tuas age: ego meas agam. COR. Iamnunc ad vnius è tribus illis epigrammatis recitationem veniam: vt per eam silentium vobis imponatur.

Quum te esse glossæ dico, semper asseclam,
Curare te nil nomen id, mihi dicis:
Iniuriáque nomen id dari probro.
Audi. addo semper: nec voco modò asseclam.
Sed te esse glossæ dico, semper asseclam:

Vult

Vult quisquis esse glossæ semper assecla,
Is veritatis haud frequenter assecla.

KÆN. Vix puto aptius te potuisse mentem tuam exprimere quàm hac assiclæ appellatione. Certè sectator glossæ patrem, meo iudicio, gratiam non habuisset. Sed quánam voce Græca composita significari hoc posset? COR. Mihi non venit in mentem. KÆN. Vide an ferri possit γλωσσόστυδος. COR. Quidni feratur (quamuis Latinæ periphrasi non omnino respondeat) donec aliud aptius inueniatur? Sed venio ad secundum epigramma meum:

Ius sæpe summũ iniuria (inquiũt) summa.
Hinc glossa sæpe digna maxima laude,
Exerere quòd se quum parat rigor iuris,
Ceu mitigatrix aduenire tunc gaudet.
Sed (inquiebam) glossa num suas partes
Agit, vbi mitis corrigit quid in lege?

Transeo ad tertium epigramma. MISOK. Iam antea vnum à te habuerat Kænophilus: cui nunc duo addidisti: atqui, si plura tribus dabis, necesse erit me μειογεκτῆν, sicut illum πλειογεκτῆν. KÆN. Hac de re postea disceptabimus. COR. En (inquam) tertium:

Quid absque glossa textus? hæc quidam mihi
Obganniebat doctor, aut doctorculus
Iuris, profectus è schola multiplici
Accursiorum. Stomachus hinc vt motus est,
Tu legis ergo textui (dico) putas
Accidere idipsum quod quibusdam pharmacis,
Eorum vt vsus esse non vllus queat,
Ni praparata (ceu solent loqui) sient.

En illam talionis materiem: quam tamen arbitratui vestro relinquens, propero ad mei sermonis cõtinuationem. Miso. Tu talionis legem à te propositam non seruas: quum alioqui Kænophilo maior epigrammatum numerus dari quàm mihi non deberet. Sed vereor ne tu, qui te adeo misogelossum simulas, ad aliquam confugere glossam velis. Kæn. Tu Coronelle hanc litem nobis alio tempore componendam relinque, & quò dixisti reuertere. Coronel. Addo igitur, tum Varronem, tum Quintilianum Glossemata etiam pro glossis dixisse: sed pro glossis, vt

Græci

Græci hoc vocabulo vsi sunt, non vt postea iurisconsultorum vulgus vti sibi permisit. A recentioribus autem Græcis γλωσσημαπκὸ quoque, necnon γλωσσημανπκὸ à quibusdam (quod mihi minus placet) dicta. KÆN. Sed cur vocabula eiusmodi glossas Græci vocabãt? COR. De hoc non dubito, quin Græci, quum tale vocabulũ aliquod quale diximus, glossam, id est linguam, vocarent, ellipsi vterentur: seu ἑλληπλικῶς loquerentur: ac perinde esset acsi dicerent, γλῶσσα ἰδία πσὶν, aut aliquid simile. Tali autẽ (meo iudicio) & in Latino sermone vtimur ellipsi, quum dicimus, Conueni hominem. Quis enim & hîc aliquid per ellipsin subaudiendum (nisi mauis Græcè dicam ὑπακουσέον) relinqui non fateatur? Pro me autem facere videtur, ad vocẽ glossa quod attinet, interpretatio ea quam Quintilianus dat illi: quum esse linguã secretiorem ait. Sonat autem hoc Græcè, (vt & ipse nosti) γλῶσσα ἐπόρρητος. Sed γλῶσσα ἰδία πσὶ dicere malui, ad nomẽ ἴδίωμα inde factum respiciens. KÆN. Nõ dubito quin mul-

ti tuæ huic opinioni subscripturi sint: quũ in omni sermone ipsum etiã vulgus breuitatis perstudiosum esse (& verò interdum nimis) quotidie experiamur: breuitati autẽ aptissimum instrumentum sit ellipsis. Sed vnde factũ esse putas vt glossa quod de vocabulo peregrino, & plerisq; incognito, ideóq; egẽte expositione, dicebatur, à posteris Latinis de ipsa expositione dictũ sit? COR. Hũc abusum inde natũ esse puto, quòd glossographi ijs quas afferebant glossis expositiones adiungerent: ideóq; perinde esse acsi remedio cuipiã mali ipsius appellatio tribueretur. KÆN. Aptiore vti cõparatione non poteras. Ac mihi certè videor obseruasse quadã in re id quod dicis, ipsi remedio appellationẽ mali tribui. COR. Nequaquã mihi dubium est quin diligens obseruatio exemplum sit inuentura & huius & reciproci etiam abusus: id est, vbi vicissim malo appellatio remedij detur. KÆN. Spero fore vt hæ duæ duarum quas tibi proposui quæstionum solutiones è mea nunquã memoria elabantur. Atque

que hæc duo obiter ex autore Thesauri Græcæ linguę didicisse, eo magis mihi gratulor, quòd ex ipso Thesauro discere non potuisse scio. COR. Non poteras sanè discere ex Thesauro meo quod ibi tacui. KÆN. Sed cur & hæc & alia quamplurima ad Greçæ linguæ cognitionem pertinentia, quæ alibi postea dixisti, ibi tacuisti? COR. Præuidebam futurum vt in multo maiorẽ molem opus illud excresceret. Quædam etiam (nequid tibi dissimulem) in mentem mihi tum non veniebant: & quidem nonnulla quoque eorum quæ tamen iam alibi scripseram. Tantũ enim negotij indagatio radicum mihi facessebat, quum à nemine vnquam via ad rem tam difficilem fuisset patefacta, vt hoc memoriam quoque sæpę interturbaret. KÆN. Quamuis plurima non ex ijs quæ cæteri dixerant, sed ex ijs quæ οἰκοθεν afferre valde fructuosa poteras, à te fuerint prætermissa: fuit tamen quidam Scapula, qui ex illis etiam ipsis de quibus lectores ibi monuisti, & de quibus moneri erat perneccssarium, prot-

sus omisit. COR. Hoc, quamuis graue, leue tamen videri malum præ alio posset. KÆN. Quódnam illud est? COR. Quòd inuertit ac peruertit multa eorũ quæ à me dicta fuerunt, dum meam mentem atque id quo vtor artificium non assequitur. Adeo autem non fuit mihi mirum, illi hoc euenisse, vt contrà mirum futurũ fuerit non euenire. Iam tum enim quum opus ipsum cõscriberem, prædicebam euenturum hoc illi qui Thesaurum meum Marte suo, & me de multis locis in consilium nõ adhibito, in compendiũ redigeret. KÆN. Nullane addidit quæ aliunde corraserit? COR. Haud alia (quod sciam) quàm absurdissimas & ineptissimas aliquot etymologias: quas, quòd tales esse videram, de industria prætermiseram. KÆN. Pessimè igitur de quamplurimis Græcæ linguæ studiosis meritus est: qui, dum fidunt huic illius operis compendio, simúlque crumenã suam vel mediocre impendium facere nõ libenter vident, illius lectioni tempus impendunt, cum magno suorum studiorum

diorum dispendio. Atque hinc fortasse inueniretur qui epigramma, quod in quendam alius compēdij autorem lusi, in illum etiam cōuerti debere diceret. KÆN. Facid audiam. COR. Id libenter faciam: sed in quem sit non addam.

Opus redegit qui illud in compendium,
Impendium in eo temporis quammaximum
Feciſſe dicit: vellet id penſare nos
Suæ crumenæ maximo compendio.
Lectorum at ille maximo diſpendio
Contraxit opus id, impoſuit & omnibus.
Pœna irrogetur huic vt non grauis tamen,
Tantum eſſe dignum dixerim ſuſpendio.

KÆN. In quem scriptum sit haud inquiram, quum tibi in pectore fixum sit, hoc tacere: verùm eius aciem posse & in illum de quo loquuti sumus distringi, nemo negauerit. Parum autem mihi fit verisimile, potuisse te à musa tua impetrare, vt de tanta tui epitomographi iniuria tam longo tempore sileret. Epitomographum tuum appello, quòd

in epitomen opus tuum redegerit: vel potius coegerit, aut adegerit. COR. Illud me non potuisse à musa mea impetrare, publicè testata est posterior illius mei operis, quod Thesaurus Græcæ linguæ inscriptum est, editio. Fronti enim primi tomi fuerunt inditi hi versus, (præfixo hoc titulo, *Thesaurus lectori de ea quam fecit quidam eius epitome.*)

Quidam, ἐπιτέμνων me, capulo tenus abdidit ensem:
Æger eram à scapulis, sanus at huc redeo.

Hoc autem distichum sequuntur ista verba, *De magno quod idem compendiũ affert dispendio agitur in ea quæ proximè sequitur epistola.* KÆN. Quò hîc à te alludatur non intelligo. COR. Alludo ad vocem *Scapula*, quæ nomen est illius epitomographi. MISOK. Felix fuisti in ista allusione. duobus enim simul modis ad nomen illud allusisti, & in vocabulo *scapulis*, & in voce *capulo*. Felix fuisti (nisi potiùs musæ tuæ felicitas ista adscribenda est) etiam in ipso περὶ τῆς ἐπιτέμνοντος figmento: quum ad vocem epitome

tome alludi aptiùs non posset. Sed venit nunc in mentem, te alia de re interrogare: super qua an rumori credendum sit, ex alio nemine tam certò scire possum. Pertinet autem & hæc quæstio ad tuum Thesaurum Græcæ linguæ. COR. Quídnam igitur de eo rumor spargit? KÆN. Te in animo habere, corollariũ tuo Thesauro dare quod supplementum vocetur. COR. Si rumor magis de vlla re, quàm hac, nunquam mentiretur, nunquam mentiretur. Sed quid tu in aurem Misokæno, aut quid ille in aurem tibi dicit? KÆN. Nihil quod magni sit momenti. COR. Etiam quæ parui sunt momenti, scitu digna sunt interdum: ac minùs certè digna sunt quorum cognitionem alter alteri inuideat. MISOK. Dicam ipse Coronello Kænophile: quandoquidem à te hoc differtur. COR. A te, non ab illo, gratiam inibo. MIS. Quum tu esses ita loquutus, *Si rumor magis de vlla re, quàm hac, nunquam mentiretur, nunquam mentiretur*: insusurrauit mihi in aurem, linguam (vt verisimile est) menti præcur-

risse, in repetitione elegantissima eorundem verborum: qualis apud Nasonem est illa,

Si, nisi quæ facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est: nulla futura tua est.

Cor. Nihil certè verius quàm quod dixisti. Lingua enim mea, dum nihil minus cogitarẽ, in hanc elegantiã incidit: vt quidem tu vocas. Fateor alioqui me & legisse apud Nasonem versus illos & non semel imitatũ esse: sed in soluta oratione me vnquam imitari haud memini. Kæn. Non oblitus sum interim eius quod precari tibi ab illo qui omnia potest volebam. Cor. Quid illud est? Kæn. Vt magnus ille dominus propositum tuum de corollarij adiectione ad tuũ Græcæ linguæ Thesaurum, (quod supplementum Thesauri vocare statuisti) secundaret. Cor. Valde ingratus sim ni magnas tibi gratias agam. Mis. Age & mihi Coronelle. nam tibi idem in pectore precatus sum. Cor. Ego vicissim gratias tibi, sed in pectore, sum [illegible]us. Kæn. En pulchrum talionis exem-

exemplum. Sed (ne, iocando, obliuiscar interim eius quod ex te audire aueo) nónne lingua Hebraica exemplum tibi præbuit illius tuæ vocabulorũ in certas classes distributionis, multiplici deriuatorum serie ad primigenia, tanquam ad radices vnde pullulant, reuocata? COR. Præbuit sanè non mihi tantùm, sed patri meo, & quidem multo quàm mihi prius. Verùm ita exemplum præbuit, vt desiderium imitandi, non aliquod adiumentum, attulerit. Adiuuare autem fortasse potuisset, si Græca æquè inops ac illa, fuisset: sed quum contrà, æquè opulenta sit ac illa est inops, nihil auxiliari potuit. Atque hæc tanta duarum linguarum in ista etiam re differentia fecit vt idem mihi contigerit in illa vocabulorum quam dixi distributione, ac contingeret illi qui quam in flumine aliquo fabricam vidisset, in mari imitandam sibi proposuisset. Ideóque minimè mirandum est quod à me dictum fuit, vix vllis exprimi verbis posse, cum quibus quantísq; mihi difficultatibus luctan-

dum fuerit, & quoties de me dici illud potuerit,

Vt ſtat & incertus quà ſit ſibi neſcit eundũ,
Quum videt ex omni parte viator iter.

Nec verò dubito quin ille ipſe qui hos verſus cecinit, ſuas difficultates cum meis comparans, onus ſuum multo eſſe leuius dicturus fuerit. Quum enim ego omni ex parte viam, vel potius viarum inexplicabilem errorem & Labyrintheo ſimilem cernerem, quomodo non hæſiſſem? ſic autem hærens animus quî potuiſſet in varias ſententias, tanquam varias vias, non diſtrahi? Nec verò mihi in his labyrinthis aliquod Ariadneum filum, tanquam alteri Theſeo, opem ferebat: ſed idẽ quod Terentiano Getæ vſuveniebat, vt in me omnis ſpes eſſet mihi. Lexicographos omnes, ſcholiaſtas, & reliquam grammaticorum gentem, cunctos denique (quocunque nomine vocarentur) qui aliquid ad linguæ Græcæ cognitionem pertinẽs ſcripſiſſent, interrogabam: ſed in maxima parte eorum quæ ſciſcitabar, magis muti quàm piſces

sces erant: sicubi autem sententiam suam proferebant, idem mihi contingebat quod Demiphoni (siue Demiphonti) apud eundē comicum, quum ab aduocatis quos consuluerat, incertior quàm antea reuerteretur. Cæterùm quod attinet ad illam qua modò vsus sum apud te comparationē, quum de difficultatibus loquerer quibuscum luctari me eo in opere necesse fuit, eadē me vsum memini in quodā ad quēdam amicum scripto carmine, facta illius operis mentione. Illámne carminis partem libet audire? KÆN. Vtar prouerbio Gallico, Id ex me quærere, esse quærere ex ægroto an sanitati velit restitui. MIS. Idem ipse dico: sed addo, me multo libentius totum carmen auditurum. KÆN. Idē dicere mihi veniebat in mentem: sed cogitaui esse accipiendum quod dat. CORON. Aures igitur præbetote.

Vt difficultas quæ comes operis fuit
Fabrili in arte, vel alia sæpe est latens,
Alius artificis nisi in oculis boni:
Sic, quæ fuit in hoc opere literario,

Vel propter illa primus ego quæ præstiti,
Sermonis huius sat peritis sat patet.
Sed alia lingua dederat exemplum rei,
Quæ lingua in ista eo mage fuit ardua,
Res quo ardua magis vna & eadem est
in mari,
Facienda quàm si cuipiam est in flumine.

Ex ijs autem quæ modò dixi, quum de Hebraicæ linguæ radicibus loquerer, illud quoque, *alia lingua*, vobis clarum erit. KÆN. Oblitus sum & aliud ex te sciscitari, quum de glossis & glossographis ageremus: vnde sumptus fuerit titulus ille quem tu cuidam vocabulario (cur enim vocabularium à Latinis, vt onomasticum à Græcis, non dicatur?) præfixisti, Glossaria. COR. Ex ipsius operis fronte sumptum fuit. Si tamen bene memini, in totius operis principio tanquã de vno tantummodo scriptum erat Glossarium: quòd alteri seorsum suus titulus daretur, id est, ante ipsum titulus ille repeteretur. KÆN. Scio esse quos hic titulus ab illius operis lectione deterruerit. Cuius tamen quanta & quàm mira sit vtilitas testantur

tur ea quæ inde noster Adrianus Turnebus deprompsit: quæ post eum, post Petrum Pithœum, & quosdam alios, deprompserunt Iosephus Scaliger & Iustus Lipsius: eodémque tempore Iacobus Cuiacius: vt de alijs, propemodum infinitis, taceam. COR. Scio & ipse, titulum hunc ab ipsius operis lectione quosdam deterruisse. Scio autem & aliud hoc de titulo, quod tibi magis mirum videbitur. KAN. Quid illud est? CORON. Quidam, Græcæ alioqui linguæ mediocriter, immo plusquam mediocriter, peritus, contendebat mecum esse Græcum hunc titulum: nec poteram illi persuadere, nullo esse modo Græcam terminationem, (vt loquuntur grammatici) eo in vsu. nam Glossarion è nomine Greco Glossa, adiecta deminutionis forma, sonare paruam linguam: vt Doxarion à Doxa, paruam gloriam. Ille hoc quidem non inficiabatur, (præsertim quum tam aptis exemplis confirmari videret) sed addebat, Quid tamen obstat quin & alterum vsum eadem terminatio in vo-

ce Glossarion habeat? Respondebam, Græcæ linguæ naturam obstare. Quid enim aliud homini naturæ sermonis Græci vim inferenti respondere poteram? Non dubito quin magna hæc Græcæ linguæ insciti, atque, vt ita dicam, crassa tibi videatur: sed multo maior & crassior videretur, si scires ex cuius ore prodierit.

KÆN. Scio, Misokæne, me non tuum quidem sermonem, sed tuam loquēdi voluntatē, interrumpere: verùm ignosce si te rogo vt noster ille sermo à te differatur, is autem in medium referatur qui tuo aduentu, siue interuentu, siue superuentu, interruptus fuit. COR. Quem sermonem dicis? nónne eum quo tibi à me illa de quodam loco Salustij quæstio proponebatur? KÆN. Eum dico. COR. Atqui in eo multo ante versabamur quàm Misokænus aduenit, siue interuenit, siue superuenit: (si tuam illam nescio qualem, nouam saltem, in loquendo cautionem mihi imitari licet.) Quum enim tibi iterum allucinanti, & quod à Salustio de vna

domi-

domina (quam & magnam dominam appellabam) dictum est, id quoque de altera accipienti, dixissem, te iterum in tua coniectura falli: respondisti, te mihi fidem habere: sed interrogationem quandã sermonis interruptricẽ statim subiunxisti. Nam quid sibi vellent mei verè Plautini oculi, rogasti. MIS. Non miror, Coronelle, si totius fabulæ tam bene recordaris: ego quoque fabulæ Plautinis oculis (quicunque illi sunt) insignitæ perpetuò recordarer. Sed qua cum reuerentia excepti à te illi Plautini oculi fuerunt? Mittendi certè hi oculi erant ad Lipsiomimos: ad illud præsertim Lipsiomimorum genus (duo enim esse comperio genera) quod tam libenter, quo iure qua iniuria, plautinizat. Verùm, nónne illis Plautinis oculis subest aliquod mysterium, (ideóq; qua cum reuerentia exceptum à te fuisset, quærebam) à quo, quum profanus sim, arceri debeam? an, si tibi patefactum fuit, mihi quoque patefieri fas est? COR. Et fas est & longum non est hoc tibi mysterium pate-

facere: si te longis ambagibus (vt ille me) morari nolim. Tandē enim comperti sunt oculi Plautini non alij esse quàm qui à Plauto emissitij vocantur. Mis. Ausim propemodum acclamare, Thesaurus carbones. Sed cur te interrogabat quid sibi vellent tui emissitij oculi? Cor. Quoniam animaduertebat, me oculos in omnes vtriusq; cœnaculi partes emittere. Misok. Cur? Cor. Quia, quum duos matutinos & plusquam matutinos (vtpote ante diluculum) ad me venientes videre mihi visus essem, & tamen vnius tantum cōspectu frui oculi mei possent, omni oculorum contentione illum inuestigabam. Sed vnde tuus iste risus? Misok. Ex eo quod dicis, te tibi visum esse duos ad te venientes videre. Cor. Quid? nónne fieri potest vt oculi fallantur? nónne accidere potest vt quis hoc verè dicat?

Nec satis exactum est, corpus an vmbra foret.

Apud me enim cogitabam, si discessisset meus Misokænus, nequaquam insalutato

lutato hospite id feciſſet: non ſe, vt fugitiuum, ſubduxiſſet, aut ſubtraxiſſet: ſed nec ita diſceſſiſſet, vt diſparuiſſe ſeu ex oculis noſtris euanuiſſe dici poſſet. Inſtabat autem interim Kęnophilus, & multis etiam verborũ terriculamentis vtebatur: hoc inter alia quærens, an auderem, vllo oculorũ patrocinio fretus, in dubiũ vocare, an duos cœnaculum ipſius accepiſſet. Eò denique ventum eſt, vt ego ad hoc reſponſum cogerer confugere. Quid ſi ille qui tibi comes fuit, ἄϑεατος ſit aliquando? At ille, An me, dæmonem adduxiſſe mecum aliquem ſuſpicaris? (aiebat) an mihi cum iſto genere animalium aliquid eſſe cõmercij ſuſpicaris? MISOK. Dæmonibus ergo ille appellationem animalium tribuebat. COR. Memini, animalia, aut ζῶα, illos vocaſſe. MISOK. Sed quid tu ad eius verba regerebas, quibus quęrebat an ſibi cum illo ζῴων genere aliquid commercij eſſe putares? COR. Nequaquam meis è verbis inferri hoc poſſe. Nam addebam, Quid ſi ſit dæmon quem tu hominem eſſe arbitre-

ris? Sed opponebat ille, dæmones esse incorporeos. Quum verò me iocari velle respondissem: tum ille, Et iocari simul & nugari vis, sed interim seriò à te quærendus & seriò à te inueniendus est meus comes. Hæc ille: sed ne ad hęc quidem verba obmutui. Quum verò tandem ita conuenisset vt euentus exspectaretur, & ille interim me in cubiculum concedere voluisset, vbi aliquid nouorum librorum erat è Francfordiensi emporio allatorum, cõtigit post breuissimum temporis interuallum vt tu, qui ἀόρατος nobis fueras, ἐρατὸς fieres. Ac (si meministi) ne tibi quidem dissimulauit Kænophilus suum me vexandi propositum. In hæc enim verba erupit, Te beasse Coronellum tuo aduentu. illum enim ab eo sibi reddi voluisse, quum esset cœnaculum eius ingressus. MIS. Si ipsi erat is animus, meritò me dicebat te beauisse: quum meo aduentu tot periculosę quæstiones cessarent. In dubium enim à te vocabatur, hominem an phasma aliquod, siue spectrum, (etiamsi his verbis non vtebare)

vel

vel μορμὼ, seu μορμολύκειον, tuis oculis obuersatum dicendum esset. Quid quòd ad quandam etiam de dæmone suspicionẽ te venire suspicabatur? Siue autem animal Latinè siue ζῶον Græcè vocauerit illud quod dæmon à Græcis appellatur: id est, dæmones, animalium, siue ζώων, (quæ duo lingua tantùm differre nosti) quoddam genus esse censuerit: ego non simpliciter ζῶα, sed cùm aliqua adiectione mallem vocare: vel eam ob causam quòd animalia sint corporea, at dæmones incorporei. COR. Quæ esse illa adiectio posset? MIS OK. Non statim venire in mentem potest: nisi fortè interim ἀμφίβολα ζῶα dici queunt. COR. Ego certè ἀμφίβολος sum, aut (si mauis) ἐν ἀμφιβόλῳ εἰμὶ, admittere an reijcere debeam hanc tuam appellationem. MIS. An hoc responso te mihi satisfacturum speras? Valde falleris, si te hęc spes tenet: aliquam & ipse appellationem excogites oportet: qualiscunque ea futura sit. COR. Audebone igitur ἐπεγγενῆ ζῶα nominare? MIS. Quidni ausis? COR. Fortasse tamen

ἀλλότροπα vel ἑτερότροπα ζῶα dici, magis tibi placeret. MIS. Non displiceret saltem. Posset autem illi ἑτερότροπα addi, tanquã ex abundanti, & δύσροπα. COR. At nunc cogito, pluribus verbis vtendum esse, ne in errorem incidamus: ac dicendum, dæmones inter λογικὰ ζῶα esse ἑτερογενῆ, vel ἀλλότροπα, aut ἑτερότροπα. MISOK. Laudo quòd hac cautione vteris. COR. Sed alia etiam cautione nobis vtendũ hîc est, vt iam nunc huic de dæmonibus sermoni finem imponamus. Ad me quidem certè quod attinet, nõ dæmonas tantùm sed omnem de dæmonib. sermonem refugio. MIS. Ego omnem de dæmonibus sermonem refugio, ipsos autem plusquam horreo.

KÆN. Vix tanta aurium tuarum patientia erga meam linguam fuisset, Coronelle, quanta mearum apud tuam fuit: ita omnia exaggerasti. Maius enim aliquid haud loquar, ne & ipse rem exaggerare dicar, dum illius exaggerationem reprehendo, vel (vt breuiùs loquar) ne rei exaggerationem exaggerare

rare videar. Sermonem tamen tuum haud totum audiui: ita vt veriùs interaudisse quàm audisse dici possim. Incidi enim quendam in librum qui aures vnà cum animo aliquantisper auocauit. COR. Non timebo de te dicere quod ne dicatur times. tantus enim non sum exaggerator quantus à te audio. KÆN. Immo tu illius figuræ rhetoricæ quæ exaggeratio vocatur, mirus supra quemuis alium es artifex. COR. Quod huius rei exemplum afferre potes? KÆN. Vel illa tua de meo quodàm vocabulo tanta querela exemplo erit. COR. Quasi verò non tam iusta sit mea querela, quàm iniustè de cogitato illo vocabulo tibi suspectus sum. KÆN. Sed hoc fortasse faciet vt magis stomacheris, quòd etiam pertinacius cõtendi tecum, de Catilina dixisse Salustium illa quæ me de te cogitasse arbitraris, *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptũ habere*. Multis certè alijs in tam pertinacem contentionem descendere contigisset: quum illa, etiamsi de Catilina ab eo dicta non fuerint (vt iam tibi credo)

bene noui : vel potiùs, si te intus & in cute noui. KÆNOPH. Quidni eò quò tutissimum esse videbo confugiam? COR. Quídnam igitur ex illo tutissimo loco mihi respondebis? KÆN. Quod negare, etiamsi velis, haud possis. COR. Quid illud est? KÆN. Ex incertis, quæ alioqui familiaris & amicabilis sermonis fines non egrediuntur, illa demum probatione egent, quæ ita quis pro certis habet vt etiam alia eorum ope adstruere velit. COR. Ego (vt de cæteris taceam quæ hîc à te respondentur) illa demum ratiocinamenta familiaris & amicabilis (vt loquutus es) sermonis metas non egredi concedo, in quibus magna ex parte de asini vmbra, aut de lana caprina disceptatur: in quibus saltem lingua in nullum distringitur: at in illo tuo sermone linguam te in nullum distrinxisse nego: ac contrà existimationis meæ iugulum illam petiisse aio. KÆNOPH. Quàm bene istud dithyrambicum loquendi genus conuenit cum eo quod dixi, te ex musca elephantem facere. Tu enim verbis per iocum effutitis seriam

riam interpretationem dare cogitas.
COR. Immo nimium ferius tuus iste iocus, quo in amicitiæ leges grauiter peccasse à te arguimur. Quid enim aliud de eo dicendum sit qui amicos, à quibus officij gratia visitur, interpellatores nominet? KÆNOPH. Non adeo malè sonare & malam in partem accipi illud Interpellatores, ex eo conijcio quòd Italus quidam, ante non paucos annos, in pereleganti ad cardinalem Dandinum carmine, eum se interpellare, & quidem nugis, fassus fuerit, in ipso limine,

Quòd te interpello nugis, dum seria tractas,
Des veniam, vel te accuses, Dandine, necesse est,
Qui mihi dum faciles aditus, &c.

Quid tu ad hæc, Coronelle? COR. Hoc tandem ista tua excusatio à me impetrabit, vt ego me vicissim excusem: (nam superuacanea iurisconsulti nihil nocere dicunt) ac fatear, me miratum fuisse quòd, contra morem vestrum, non vesperi, sed manè, & quidem tam

dum fuerit, & quoties de me dici illud potuerit,

Vt ſtat & incertus quà ſit ſibi neſcit eundũ,
Quum videt ex omni parte viator iter.

Nec verò dubito quin ille ipſe qui hos verſus cecinit, ſuas difficultates cum meis comparans, onus ſuum multo eſſe leuius dicturus fuerit. Quum enim ego omni ex parte viam, vel potius viarum inexplicabilem errorem & Labyrintheo ſimilem cernerem, quomodo non hæſiſſem? ſic autem hærens animus quî potuiſſet in varias ſententias, tanquam varias vias, non diſtrahi? Nec verò mihi in his labyrinthis aliquod Ariadneum filum, tanquam alteri Theſeo, opem ferebat: ſed idẽ quod Terentiano Getæ vſuveniebat, vt in me omnis ſpes eſſet mihi. Lexicographos omnes, ſcholiaſtas, & reliquam grammaticorum gentem, cunctos denique (quocunque nomine vocarentur) qui aliquid ad linguæ Græcæ cognitionem pertinẽs ſcripſiſſent, interrogabam: ſed in maxima parte eorum quæ ſciſcitabar, magis muti quàm piſces

sces erant: sicubi autem sententiam suam proferebant, idem mihi contingebat quod Demiphoni (siue Demiphonti) apud eundē comicum, quum ab aduocatis quos consuluerat, incertior quàm antea reuerteretur. Cæterùm quod attinet ad illam qua modò vsus sum apud te comparationē, quum de difficultatibus loquerer quibuscum luctari me eo in opere necesse fuit, eadē me vsum memini in quodā ad quēdam amicum scripto carmine, facta illius operis mentione. Illámne carminis partem libet audire? KÆN. Vtar prouerbio Gallico, Id ex me quærere, esse quærere ex ægroto an sanitati velit restitui. MIS. Idem ipse dico: sed addo, me multo libentius totum carmen auditurum. KÆN. Idē dicere mihi veniebat in mentem: sed cogitaui esse accipiendum quod dat. CORON. Aures igitur præbetote.

Vt difficultas quæ comes operis fuit
Fabrili in arte, vel alia. sæpe est latens,
Alius artificis nisi in oculis boni:
Sic, quæ fuit in hoc opere literario,

Vel propter illa primus ego quæ præstiti,
Sermonis huius sat peritis sat patet.
Sed alia lingua dederat exemplum rei,
Quæ lingua in ista eo magè fuit ardua,
Res quo ardua magis vna & eadem est in mari,
Facienda quàm si cuipiam est in flumine.

Ex ijs autem quæ modò dixi, quum de Hebraicæ linguæ radicibus loquerer, illud quoque, *alia lingua*, vobis clarum erit. KÆN. Oblitus sum & aliud ex te scisitari, quum de glossis & glossographis ageremus: vnde sumptus fuerit titulus ille quem tu cuidam vocabulario (cur enim vocabularium à Latinis, vt onomasticum à Græcis, non dicatur?) præfixisti, Glossaria. COR. Ex ipsius operis fronte sumptum fuit. Si tamen bene memini, in totius operis principio tanquã de vno tantummodo scriptum erat Glossarium: quòd alteri seorsum suus titulus daretur, id est, ante ipsum titulus ille repeteretur. KÆN. Scio esse quos hic titulus ab illius operis lectione deterruerit. Cuius tamen quanta & quàm mira sit vtilitas testantur

tur ea quæ inde noſter Adrianus Turnebus deprompſit: quæ poſt eum, poſt Petrum Pithœum, & quoſdam alios, deprompſerunt Ioſephus Scaliger & Iuſtus Lipſius: eodémque tempore Iacobus Cuiacius: vt de alijs, propemodum infinitis, taceam. CORON. Scio & ipſe, titulum hunc ab ipſius operis lectione quoſdam deterruiſſe. Scio autem & aliud hoc de titulo, quod tibi magis mirum videbitur. KAN. Quid illud eſt? CORON. Quidam, Græcæ alioqui linguæ mediocriter, immo pluſquam mediocriter, peritus, contendebat mecum eſſe Græcum hunc titulum: nec poteram illi perſuadere, nullo eſſe modo Græcam terminationem, (vt loquuntur grammatici) eo in vſu. nam Gloſſarion è nomine Græco Gloſſa, adiecta deminutionis forma, ſonare paruam linguam: vt Doxarion à Doxa, paruam gloriam. Ille hoc quidem non inficiabatur, (præſertim quum tam aptis exemplis confirmari videret) ſed addebat, Quid tamen obſtat quin & alterum vſum eadem terminatio in vo-

ce Glossarion habeat? Respondebam, Græcæ linguæ naturam obstare. Quid enim aliud homini naturæ sermonis Græci vim inferenti respondere poteram? Non dubito quin magna hæc Græcæ linguæ inscitia, atque, vt ita dicam, crassa tibi videatur: sed multo maior & crassior videretur, si scires ex cuius ore prodierit.

KÆN. Scio, Misokæne, me non tuum quidem sermonem, sed tuam loquēdi voluntatē, interrumpere: verùm ignosce si te rogo vt noster ille sermo à te differatur, is autem in medium referatur qui tuo aduentu, siue interuentu, siue superuentu, interruptus fuit. COR. Quem sermonem dicis? nónne eum quo tibi à me illa de quodam loco Salustij quæstio proponebatur? KÆN. Eum dico. COR. Atqui in eo multo ante versabamur quàm Misokænus aduenit, siue interuenit, siue superuenit: (si tuam illam nescio qualem, nouam saltem, in loquendo cautionem mihi imitari licet.) Quum enim tibi iterum allucinanti, & quod à Salustio de vna domi-

domina (quam & magnam dominam appellabam) dictum est, id quoque de altera accipienti, dixissem, te iterum in tua coniectura falli: respondisti, te mihi fidem habere: sed interrogationem quandā sermonis interruptricē statim subiunxisti. Nam quid sibi vellent mei verè Plautini oculi, rogasti. MIS. Non miror, Coronelle, si totius fabulæ tam bene recordaris: ego quoque fabulæ Plautinis oculis (quicunque illi sunt) insignitæ perpetuò recordarer. Sed qua cum reuerentia excepti à te illi Plautini oculi fuerunt? Mittendi certè hi oculi erant ad Lipsiomimos: ad illud præsertim Lipsiomimorum genus (duo enim esse comperio genera) quod tam libenter, quo iure qua iniuria, plautinizat. Verùm, nónne illis Plautinis oculis subest aliquod mysterium, (ideóq; qua cum reuerentia exceptum à te fuisset, quærebam) à quo, quum profanus sim, arceri debeam? an, si tibi patefactum fuit, mihi quoque patefieri fas est? COR. Et fas est & longum non est hoc tibi mysterium pate-

facere: si te longis ambagibus (vt ille me) morari nolim. Tandē enim comperti sunt oculi Plautini non alij esse quàm qui à Plauto emissitij vocantur. Mis. Ausim propemodum acclamare, Thesaurus carbones. Sed cur te interrogabat quid sibi vellent tui emissitij oculi? Cor. Quoniam animaduertebat, me oculos in omnes vtriusq; cœnaculi partes emittere. Misok. Cur? Cor. Quia, quum duos matutinos & plusquam matutinos (vtpote ante diluculum) ad me venientes videre mihi visus essem, & tamen vnius tantum cōspectu frui oculi mei possent, omni oculorum contentione illum inuestigabam. Sed vnde tuus iste risus? Misok. Ex eo quod dicis, te tibi visum esse duos ad te venientes videre. Cor. Quid? nónne fieri potest vt oculi fallantur? nónne accidere potest vt quis hoc verè dicat?

Nec satis exactum est, corpus an vmbra foret.

Apud me enim cogitabam, si discessisset meus Misokænus, nequaquam insalutato

lutato hospite id feciſſet: non ſe, vt fugitiuum, ſubduxiſſet, aut ſubtraxiſſet: ſed nec ita diſceſſiſſet, vt diſparuiſſe ſeu ex oculis noſtris euanuiſſe dici poſſet. Inſtabat autem interim Kęnophilus, & multis etiam verborũ terriculamentis vtebatur: hoc inter alia quærens, an auderem, vllo oculorũ patrocinio fretus, in dubiũ vocare, an duos cœnaculum ipſius accepiſſet. Eò denique ventum eſt, vt ego ad hoc reſponſum cogerer confugere. Quid ſi ille qui tibi comes fuit, ἀόρατος fit aliquando? At ille, An me, dæmonem adduxiſſe mecum aliquem ſuſpicaris? (aiebat) an mihi cum iſto genere animalium aliquid eſſe cõmercij ſuſpicaris? MISOK. Dæmonibus ergo ille appellationem animalium tribuebat. COR. Memini, animalia, aut ζῶα, illos vocaſſe. MISOK. Sed quid tu ad eius verba regerebas, quibus quęrebat an ſibi cum illo ζώων genere aliquid commercij eſſe putares? COR. Nequaquam meis è verbis inferri hoc poſſe. Nam addebam, Quid ſi ſit dæmon quem tu hominem eſſe arbitre-

ris? Sed opponebat ille, dæmones esse incorporeos. Quum verò me iocari velle respondissem: tum ille, Et iocari simul & nugari vis, sed interim seriò à te quærendus & seriò à te inuiendus est meus comes. Hæc ille: sed ne ad hęc quidem verba obmutui. Quum verò tandem ita conuenisset vt euentus exspectaretur, & ille interim me in cubiculum concedere voluisset, vbi aliquid nouorum librorum erat è Francfordiensi emporio allatorum, cõtigit post breuissimum temporis interuallum vt tu, qui ἀόρατος nobis fueras, ἐρατὸς fieres. Ac (si meministi) ne tibi quidem dissimulauit Kænophilus suum me vexandi propositum. In hæc enim verba erupit, Te beasse Coronellum tuo aduentu. illum enim ab eo sibi reddi voluisse, quum esset cœnaculum eius ingressus. MIS. Si ipsi erat is animus, meritò me dicebat te beauisse: quum meo aduentu tot periculosę quæstiones cessarent. In dubium enim à te vocabatur, hominem an phasma aliquod, siue spectrum, (etiamsi his verbis non vtebare)

vel

vel μορμὼ, seu μορμολύκειον, tuis oculis obuersatum dicendum esset. Quid quòd ad quandam etiam de dæmone suspicionẽ te venire suspicabatur? Siue autem animal Latinè siue ζῶον Græcè vocauerit illud quod dæmon à Græcis appellatur: id est, dæmones, animalium, siue ζῴων, (quæ duo lingua tantùm differre nosti) quoddam genus esse censuerit: ego non simpliciter ζῶα, sed cum aliqua adiectione mallem vocare: vel eam ob causam quòd animalia sint corporea, at dæmones incorporei. COR. Quæ esse illa adiectio posset? MIS OK. Non statim venire in mentem potest: nisi fortè interim ἀμφίβολα ζῶα dici queunt. COR. Ego certè ἀμφίβολος sum, aut (si mauis) ἐν ἀμφιβόλῳ εἰμὶ, admittere an reijcere debeam hanc tuam appellationem. MIS. An hoc responso te mihi satisfacturum speras? Valde falleris, si te hęc spes tenet: aliquam & ipse appellationem excogites oportet: qualiscunque ea futura sit. COR. Audebóne igitur ὑπερκτῆ ζῶα nominare? MIS. Quidni ausis? COR. Fortasse tamen

ἀλλότροπα vel ἑτερότροπα ζῶα dici, magis tibi placeret. MIS. Non displiceret saltem. Posset autem illi ἑτερότροπα addi, tanquã ex abundanti, & δύσροπα. COR. At nunc cogito, pluribus verbis vtendum esse, ne in errorem incidamus: ac dicendum, dæmones inter λογικὰ ζῶα esse ἑτερογενῆ, vel ἀλλότροπα, aut ἑτερότροπα. MISOK. Laudo quòd hac cautione vteris. COR. Sed alia etiam cautione nobis vtendũ hîc est, vt iam nunc huic de dæmonibus sermoni finem imponamus. Ad me quidem certè quod attinet, nõ dæmonas tantùm sed omnem de dæmonib. sermonem refugio. MIS. Ego omnem de dæmonibus sermonem refugio, ipsos autem plusquam horreo.

KÆN. Vix tanta aurium tuarum patientia erga meam linguam fuisset, Coronelle, quanta mearum apud tuam fuit: ita omnia exaggerasti. Maius enim aliquid haud loquar, ne & ipse rem exaggerare dicar, dum illius exaggerationem reprehendo, vel (vt breuiùs loquar) ne rei exaggerationem exaggerare

rare videar. Sermonem tamen tuum haud totum audiui: ita vt veriùs inter-audisse quàm audisse dici possim. Incidi enim quendam in librum qui aures vnà cum animo aliquantisper auocauit. COR. Non timebo de te dicere quod ne dicatur times. tantus enim non sum exaggerator quantus à te audio. KÆN. Immo tu illius figuræ rhetoricæ quæ exaggeratio vocatur, mirus supra quemuis alium es artifex. COR. Quod huius rei exemplum afferre potes? KÆN. Vel illa tua de meo quodàm vocabulo tanta querela exemplo erit. COR. Quasi verò non tam iusta sit mea querela, quàm iniustè de cogitato illo vocabulo tibi suspectus sum. KÆN. Sed hoc fortasse faciet vt magis stomacheris, quòd etiam pertinacius cõtendi tecum, de Catilina dixisse Salustium illa quæ me de te cogitasse arbitraris, *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptũ habere*. Multis certè alijs in tam pertinacem contentionem descendere contigisset: quum illa, etiamsi de Catilina ab eo dicta non fuerint (vt iam tibi credo)

quamuis de quo aut de qua ita loquutus sit, nondum sciam) fuit tamen ingenij Catilinarij descriptioni conuenientissima. Cor. Non est quòd stomachũ ab ea contentione, vel potius contentiuncula, magis motum mihi fuisse existimes. Nam in eo quod modò dixisti, illa esse ingenij Catilinarij descriptioni conuenientissima, fateor te, ac cæteros qui pariter falluntur, habere quod aliquam huic leui & μνημονικῷ errori excusatiunculam suggerat: sed apud me nullo te modo excusat. Nam siue de Catilina, siue de magna illa domina cuius nomen coniectura nondum potuisti assequi, à Salustio verba illa dicantur, negare non potes quin me probro affeceris. Quum enim satis haud sit, ab omni crimine procul esse, sed ab omni etiam suspicione abesse oporteat, tu me huic tanto crimini, & ad quod Achilles, tantus vir, tam exhorrescebat, affinem esse pronuntias: ac fieri vix poterit quin saltem infamia, contracta ex tua de me suspicione, tanquam cicatrix, in me remaneat. Kæn.

Quàm

Quàm bellè ex muſca elephantem (vt Græcorum iactatur prouerbio) facis. Verùm debebas, vt elephas tuus aliquid magis elephãticum haberet, grauitatem illius Virgiliani verſus ſermoni tuo præſtruere,

Obſtupui, ſteterúntq; comæ, & vox faucibus hæſit.

Dicamus tamen potius ex eodem, *Motos præſtat componere fluctus.* Dixi me ſcire, te vocabulum Interpellatores in pectore habuiſſe priuſquã Compellatores in ore haberes: quid tum poſtea? putáſne, nos dicam tibi grandem impacturos fuiſſe, etiamſi interpellatores nos vocauiſſes? COR. Perinde eſt profectò acſi me vocauiſſes, quum te ſcire dixiſti. Sed quibus argumentis tuum iſtud ſcire mihi probabis? KÆN. Videndum prius an probatione egeat. COR. Quaſi verò negare poſſis incerta omnia probatione egere. KÆN. Nego quidem certè, ac pernego. COR. Quid audio! KÆN. Audis hominẽ negantem ac pernegantem quod ais. COR. Ad diſtinctionem quampiam confugies, ſi te

bene noui : vel potiùs, si te intus & in cute noui. KÆNOPH. Quidni eò quò tutissimum esse videbo confugiam? COR. Quídnam igitur ex illo tutissimo loco mihi respondebis? KÆN. Quod negare, etiamsi velis, haud possis. COR. Quid illud est? KÆN. Ex incertis, quæ alioqui familiaris & amicabilis sermonis fines non egrediuntur, illa demum probatione egent, quæ ita quis pro certis habet vt etiam alia eorum ope adstruere velit. COR. Ego (vt de cæteris taceam quæ hîc à te respondentur) illa demum ratiocinamenta familiaris & amicabilis (vt loquutus es) sermonis metas non egredi concedo, in quibus magna ex parte de asini vmbra, aut de lana caprina disceptatur: in quibus saltem lingua in nullum distringitur: at in illo tuo sermone linguam te in nullum distrinxisse nego: ac contrà existimationis meæ iugulum illam petiisse aio. KÆNOPH. Quàm bene istud dithyrambicum loquendi genus conuenit cum eo quod dixi, te ex musca elephantem facere. Tu enim verbis per iocum effutitis seriam

riam interpretationem dare cogitas.
COR. Immo nimium serius tuus iste iocus, quo in amicitiæ leges grauiter peccasse à te arguimur. Quid enim aliud de eo dicendum sit qui amicos, à quibus officij gratia visitur, interpellatores nominet? KÆNOPH. Non adeo malè sonare & malam in partem accipi illud Interpellatores, ex eo conijcio quòd Italus quidam, ante non paucos annos, in pereleganti ad cardinalem Dandinum carmine, eum se interpellare, & quidem nugis, fassus fuerit, in ipso limine,

Quòd te interpello nugis, dum seria tractas,
Des veniam, vel te accuses, Dandine, necesse est,
Qui mihi dum faciles aditus, &c.

Quid tu ad hæc, Coronelle? COR. Hoc tandem ista tua excusatio à me impetrabit, vt ego me vicissim excusem: (nam superuacanea iurisconsulti nihil nocere dicunt) ac fatear, me miratum fuisse quòd, contra morem vestrum, non vesperi, sed manè, & quidem tam

mane, me inuisebatis, atq; hinc factum esse vt repente in illa verba prorumperem, Papæ, papæax, tam mane! Nisi forte auribus tuis magis placere (vel potius minus displicere) poterant ista, Ha'ha he, tam mane! KÆN. Immo, nequaquàm te factum nostrum irridere quàm mirari maluissem: sed fieri non poterat quin mirarer, te miraculi loco habere, nos ex vespertinis salutatoribus factos esse matutinos. COR. Quasi verò antea quum vespertini ad me veniebatis, salutationis officium vobis propositum esset. Hoc si ita est, aliquid nõ solum admiratione dignum, sed propemodum absurdum à vobis fiebat: nec tantùm contra Romanæ gentis & aliarum morem, sed etiam cõtra ipsius naturę leges id faciebatis. Hoc certè fatendum est, nusquam salutationis officium in maiore vsu quàm Romæ fuisse. Id autem cum aliunde, tum ex illo Martialis epigrammate (si tamen renocare vobis in memoriam oportet) notum esse potest, cuius hic est primus versus,

Prima

Prima salutantes atque altera continet hora.

nisi *detinet* potius legendum est.

Itidémque illud Maronis,

Mane salutantum totam vomit ædibus vndam.

Multo igitur magis reprehensione digni eratis (mea quidem sententia) quàm qui non præpostero tempore, sed præpostero sermone salutabant: etiamsi Lucianus hanc agnoscere præposteritatem nolle, aut velle huic patrocinari (si satis memini) videatur.

MIS. Quid audio? vel potius, quid audire mihi videor? Audis Coronellum iurgantem cum Kænophilo, vel potius Kænophilum obiurgantem: & meritò quidem. Iustam enim tuus Kænophilus expostulandi causam habet. Quod etiam antea præse semper tulit.

MISOK. Quomodo te semper id præte tulisse ais? COR. Quoniam, quum recitatis decem meis versuum Homeri interpretationibus vndecimã tuo rogatu addidissem, ad Salustij verba, quibus & ipse ad posteriorem versum vi-

detur respexisse, accommodatam: ac tum Kænophilus me minori suo desiderio satisfeciſſe dixiſſet: ego, quamuis non satis assequens cur minori diceret: subiunxi tamen, eum maiori meo desiderio non itidem satisfeciſſe. Quærente illo quódnam illud esset desiderium, amota omni dissimulatione dixi, *Quasi verò iam oblitus sis meæ tecum expostulationis:* ac quænam foret (si fortè oblitus esset) addidi. Mis. Quòd non dissimulaueris, ac ne tum quidem ὕπουλον esse tuam indignationem volueris, laudo: sed te nondum illam concoxisse, miror potius quàm laudo. Vix enim auribus meis fidem adhibere poteram, vos in illa velitatione tamdiu versari: ideóque dixi, Quid audio? vel potius, quid audire mihi videor? Nam si velitatio hæc simulata esset (vt simulatam mihi videri, antea dixi, & verò credidi) nimium diu duraret: præsertim quum ars vestra detecta esse mihi videretur: quæ latere hîc etiam debet: vt ad eam quoque illud Nasonianum accommodetur, *Ars lateat.* (sæpè enim, quod, dum ars latet,

place-

placere videmus, quum ars fuerit patefacta, est putidum) at si omni simulatione caret, cauendum certè ne in iustum tandem prelium erumpat. hoc enim sæpe velitationem, seu skiomachiam, sequitur. Ac meminisse hîc oportet eius quod à Flacco scriptum est,

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram.

Sicut igitur pro eo quo vos prosequor amore operam dare debeo nequid tale accidat, atq; vt amnestiam inter vos paciscamini: sic pro eo quo vos viciſſim me prosequimini, vt operam ludam in re tam seria, permittere non debetis. Recordor à te, Coronelle, paulo ante in hac ipsa iurgatione factam Achillis mentionẽ: facit hæc recordatio vt mihi veniat in mentẽ Nestor, festinans lites inter Achillem & Agamemnonem cõponere: (sicut & idem ille poeta Flaccus, testem habens Homerum, canit,

— Nestor componere lites
Inter Peliden festinat & inter Atriden)

vos estote mihi, tu quidem Coronelle, Achilles: tu verò Kænophile, Aga-

memnon : vt ego vobis sim vicissim Nestor. Et verò iam vos nõ aliter quàm hac ipsa de re mihi assentientes alloquar. Quid ais igitur mi Agamemnon? te enim prius, regiæ dignitatis rationem habens, alloquor. KÆNOPH. Proh, quàm citò in tantam dignitatem euectus sum. Vel hæc certè quam in me contulisti dignitas, vt tibi gratificer in re multo maiore ea quam petis meretur : ideóque per me non stabit quominus tuo desiderio satisfiat. MISOK. Tu verò, mi Achille, quid ais? COR. Tam honorifico me vnquam titulo ornari, haud memini : quúmque tantum tibi pro tanto honore debeam, absit vt à me de tuo desiderio repulsam patiaris. Atq; ita me mutatum esse cognosces ab Achille illo, qui

Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

MISOK. Nihil aliud iam superest quàm vt faciatis quod in reconciliatione sicut vsitatissimum, ita facillimum est: vt iungatis dextras. Sed en, mea & dextra & sinistra velut δεξιὼσεις huius ἀξιώσεως, vel

vel potiùs ἀναγνώρισις erunt. Quod faustum felixque sit. COR. Quod faustum felixque sit. KÆN. Quod faustum felixque sit. MISOK. O quam mihi gratulor: quàm possum verè exclamare,

Non ista Dardanio gauisus Atrida triumpho est,
Quum caderent magni Laomedontis opes:
Nec sic errore exacto lætatus Vlysses,
Quum tetigit charæ litora Dulichiæ:
Nec sic Electra, saluum quum aspexit Oresten,
Cuius falsa tenens fleuerat ora soror:
Nec sic incolumem Minois Theseа vidit,
Dædaleum lino quum duce rexit iter:
Quanta ego nunc tota persentio gaudia mente.

COR. Est cur tua hæc tanta de nostra reconciliatione gaudia gaudeamus, & quidē de illis gratias tibi agamus. Nec poteras certè magis illustria magnorum gaudiorum exempla afferre. Sed tu vltimum mutasti versum. nam (si me non fallit memoria: vt fallere non pu-

to) apud poetam ipsum versus qui superioribus redditur, est hic,

Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.

Misok. Quid? nónne mutandus erat? Cor. Erat sanè. Misok. Sed fortasse non reprehendis quòd sit mutatus, verùm quòd ita mutatus. Cor. Immo neutrum reprehendo. Dicere poteram, vtendo eo ipso quo vsus sum verbo,

Gaudia quanta ego nunc persentio pectore toto.

At verò, non discedenti ab eo quod apud ipsum legitur, dicere licebat,

Quanta ego nunc tota, nunc colligo gaudia mente.

Sed ipsemet fortasse Propertius, si alterum illud verbum quo vsus sum memoria suppeditasset, suo versui potius adhibuisset: atque ita scripsisset,

Quanta ego præterita persensi gaudia nocte.

Cor. Non dubito quin hoc facturus fuerit. Sed, quamuis de ista reconciliatione meis auspicijs meóque ductu facta tan-

ta tanto fim gaudio perfusus, publico me potius quàm priuato commodo ſcio conſuluiſſe: atque ita me Chriſtianè potius quàm politicè geſſiſſe. Quũ enim Kænophilus mihi Miſokæno, vt nomine ſic re, ſæpe ſit aduerſarius, debui potius principes (huius etiam ſeculi) imitari, qui tantum abeſt vt itidem principis ſibi aduerſarij reconciliationem cum altero (præſertim ſi vicinus ſit) procurent, vt potius inimicitias illas modis omnibus, totis viribus foueant: quinetiam augeant, atque oleum incendio addant, vt inter duos litigantes (ſi hiſce prouerbialibus vulgi verbis vti mihi licet) tertius gaudeat. KÆN. Immo nihil aduerſus politicen hîc peccaſti: quum ita ſimus aduerſarij vt noſtris diſceptatiunculis alter alterius plerunque iudicium acuamus, atque ita operas mutuas tradamus. MISOK. Ita ſe res habet: ſed iocari volebam. COR. At verò illud quod aduerſum me aliquanto poſt tuum reditum dixiſti pro Kænophilo (iam enim Agamemnonem eſſe deſijt: ſicut ego, Achilles: &

tu, Nestor) iocosúmne itidem fuit, an serium? Mis. Quid illud est? Cor. Faciam vt reminiscaris. Dixisti, te ne hoc quidem velle omittere, fallacia me vsum esse apud Kænophilum, quum illa Salustij verba quæ tantopere agitata inter vos fuerunt, ab ipso in me districta esse contenderem. Kæn. Immo potius

Demus ea Æolijs cuncta ferenda notis.

& cum Homerico illo dicamus,

Ἀλλὰ τὰ μὲν παρατέλχθω ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.

(debemus enim ἄχνυσθαι nostræ velitationis causa) Addamus etiam, si libet,

Θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι φίλον δαμάσαντες ἀνάγκῃ.

Sed quum sequatur apud Homerum,

Νῦν δ' ἤτοι μὲν ἐγὼ παύω χόλον,

dicendum fuerit,

Νῦν χόλον ἀμφοτέροις καταπαύσαμεν.

Cor. De tradendis ventro omnibus, vt ait Kænophilus, quinetiam de illis quæ ex Homero canit, illi succino. Mis. Grates vobis ago maximas quòd me illo repetundarum crimine absoluitis:

ac iam

ac iam mihi gratiam de reconciliatione relatam profiteor.

KÆN. Erit meæ cum Coronello reconciliationis fructus hic, inter alios, quòd me de quadam magna, quam minimè nominat, domina, tamdiu suspensum non tenebit: sed in gratiam & reconciliati & reconciliatoris, quæ sit illa indicabit. MIS. Quin hoc sit facturus non dubito: sed rem totam ab initio audire cupio. Scio enim auditam mihi ex Coronelli ore cuiusdam dominæ, seu magnæ dominæ, mentionem: sed cur eius mentionem faceret, & an nomen eius reticeret, haud recordor. KÆN. Totam igitur de domina illa historiolam tibi narrabo: de qua sermo tuo superuentu omnino abruptus fuit: vel potiùs tantũ interruptus, si (vt spero) continuetur. Attentas igitur mihi aures te præbere velim. Expostulanti mecum Coronello quòd non aliter de ipso loquutus forem quàm de eo in quem illa Salustij verba iactari possent, *aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere*: cùm alia respondi,

tum verò ista: nescire me cur illa verba tam altè in pectus eius descendissent (factum est enim nescio quomodo vt in Salustij mētione Salustiana illa phrasis in mentem mihi veniret) addidi etiam, timere scilicet illum ne hinc sumpto initio alia quoque in Catilinam à Salustio iactata, in ipsum (Coronellum inquam) pergerem distringere. Ille hoc, inter cætera, respondit, allucinari meam memoriam. Quum instarem, si non de Catilina, de quo hæc dixisset: ille, de nullo eum ita loqui dixit: sed & tandem addidit, At non dico item, de nulla. Et paulo post, Magnam quandam dominam illis vocibus à Salustio perstringi. Hoc vt restringeret, adiecit, Quæ magna apud probos infamia laborat. Quū me ex his nullo modo posse conijcere dicerē quæ esset illa domina (quum tam magnus sit dominarum, & quidem magnarum etiam, quæ male audiunt, numerus) adiunxit, Esse etiam sui impotētem. Tandémq; ne hac quidē adiunctione contento, addidit, Esse dominam quæ multos mortales fieri falsos

falsos subegit, ac quotidie subigit. Quũ mihi cõiectura viderer assequutus quę-nam illa domina foret, ac respondissem, esse Auaritiam: ille autem coniectorem bonum esse negaret: adiecit, Eam dominã de qua loqueretur, multis mortalibus persuadere, amicitias inimicitiásque non ex re, sed commodo, æstimandas esse: ego opponere, hoc quoque de Auaritia verè dici posse. Sed tamen ne hæc quidem à se dici de illa, quum respondisset: & ego alijs etiam de illa verbis adminiculari eum menti meæ vellẽ, ad ista venit, Esse dominam quæ multos mortales euehit. Quibus auditis, mentem meam prorsus εὔσοχον esse putans, exclamaui, magnam illam dominam, non aliam esse quàm Fortunam: sequendo peruersam quæ apud ethnicos inualuit opinionem, & in Christianorum etiam multorum mentibus (magno Christianæ reipubl. opprobrio) radices egisse videtur. Postquam verò & hîc mihi reclamauit, ac mentem meam fuisse contrà ἄσοχον dixit, ea ipsa verba quibus illam magnam

dominam postremò descripserat, quibusdam circumstantijs, vt mihi adminicularetur, velut fulcijt: atq; ad hanc descriptionem venit, esse dominā quæ multos mortales euehit, sed docens illos obsequio & assentatione grassari: quæ suorum bonorum dulcedine ebrios, sed nunquam contentos, suos reddit: ego verò respondissem, nihil videri obstare quominus hoc quoque de Fortuna diceretur (quanquam fortasse hoc posterius potiùs quàm illud prius, Fortunæ cōuenire, respondendum erat) at ille de alia domina nunc quoq; loqui se affirmauisset: postremò dixit, esse dominam, quæ, cuicunque imperat, de eo verè cani potest hic versus,

Huic quo plus potæ, plus sitiuntur aquæ.

Hìc ego, Ignosce, inquam. reuertor enim vnde me depulisti: quum audiam iterum quod facit vt te de Auaritia loqui persuasissimum habeam. nam Auaritia illud quod dixisti, in auaris facit. Verùm ille me iterum in mea de Auaritie coniectura fulli dixit: atque hìc contigit vt à me sermo abrumperetur.

Nunc

Nunc autem velim apud Coronellum mecum efficias vt tandem quæ sit illa domina nos doceat. MISOK. Crede mihi, non minore me quàm te desiderio teneri sciendi quænam illa sit de qua tam multa támque magna dicuntur, domina. Coniunctis ergo precibus (siue tuæ meas, siue meæ tuas sint adiuturæ) Coronellum aggrediamur necopinantem. KÆN. Cur necopinantem dicis? MIS. Quia mihi visus est cuiusdam libri lectioni vacare, potiùs quàm attentam ijs quæ mihi commemorabas aurem præbere. MIS. Nónne, si verum fateri vole, Coronelle, te huic nouissimo sermoni nostro interfuisse simul & ab eo abfuisse fateberis? COR. Fatebor equidem. Sed hoc inde contigit, quòd, quum hic liber in oculos meos incurrisset, lecto titulo plura legendi (vt fit) cupiditas me à vestro sermone abripuit. Qua autem de re ille fuit? MIS. Narrauit mihi Kænophilus quantopere suam mentem in diuinatione quadã exercuisses, ac (si pergere paulo vlterius licet) vexasses. COR.

Recordor quæ fuerit illa diuinatio: si tamen assequi coniectura quidpiam, siue εἰκάζειν, & quidem ἐκ πολλῶν τῶν εἰκότων, diuinare est. Deberet autem, mentem suam potius à quadam magna domina quàm à me, vexatam dicere. MIS. Video te ipsius rei memorem esse. COR. Quinetiam recordor eorum quæ ipsi de illa magna domina dixi, velut descriptionis cuiusdam, vel potius descriptionum quarundam futura loco, vt viam coniecturæ eius aperirem. MIS. Rem mihi non obiter narrauit, sed denarrauit: nec, vt falsus fuerit, quum se OEdipodem è Dauo factum, falsò crederet, me celauit. Vix autem tibi persuadeas quanto & ipse illam dominam cognoscendi teneat desiderio. Atque adeo si me desiderio illo languere dixero, quòd verissimum est dixero. Tu ergo,

Si non vnius, saltem miserere duorum.

COR. Dolco ventum eò esse vt misericordia mea hac de causa implorata fuerit: magis autem dolerem si frustra implo-

imploratam esse, queri posletis. Rogo te tamen, vt me sinas prius apud Kæcophilum in meis illis descriptionibus paulo vlterius progredi, atque experiri an ille quousq; necesse est patientiam suam experietur. Spero enim, hanc moram valde breuem futuram. KÆN. Accipio conditionē: præsertim quum quicquid erit moræ, breue futurum speres. Vísne igitur tibi in memoriam reuocem quæ fuerit vltima διαχαφὴ, quam mihi propositi? COR. Quidni velim? ea enim præcedentes memoriæ meæ suggeret, iam alioqui reminisci incipienti. KÆN. Hoc postremò dixisti, Esse dominam, quæ cuicunque imperat, de eo verè cani potest versus Nasonianus, de aquis, quę quo plus sunt potæ, plus sitiuntur. Sed ego hunc quoq; effectum Auaritiæ tribui à te putaui, sicut ab ipso Nasone tribuitur. At tu me & hîc falli admonuisti. Quare nunc etiam ad preces me volo conuertere, ijsq; à te cōtendere vt aliquam tandem διαχαφὴν superioribus adijcias, qua meam mentem è tanta difficultate & anxieta-

te eijcias. COR. Faciam. sed vide tamen vt hæ preces sint vltimæ: nihil certè tibi apud me proderunt quæcunq; adijcientur. Nec verò video quónam efficere modo possim vt, quæ domina illa sit, coniectura tandem assequaris, si nunc non efficiam. KÆN. Ego autem non video quid aliud possim, quàm ad vota recurrere vt tibi contingat hoc præstare. Alioqui enim mentis meæ me pœnitebit. Sed multum erit in tui sermonis solertia situm. COR. Dico esse dominam quæ libenter

Mane salutantum totam vomit ædibus vndam.

Est domina quæ honoris sitim affert: quæ multos præ honoris siti in pericula multa præcipitat: quæ denique non alius rei quàm honoris sitibundos homines reddit. KÆNOPH. Iam nec Dauus, nec OEdipus, sed stipes esse dicar, si, quod sit huic dominæ nomen, non dixero. COR. Magnum te in periculum conijcis. KÆNOPH. Non sum tamen φιλόκινδυνος. nam cautè in periculum me conijcio. COR. Immo cauti est se in

se in periculum non conijcere. KÆN. Atqui periculum sine periculo non vincitur. Sed tu magnum periculum nunc vocas quod ego paruum appello. Quocunque autem se res habeat modo, quatuor verbis alea iacietur: Dominailla, est Ambitio. COR. Iam, te extra aleam esse, gloriari potes. Sed parua certè gloria (nolo enim tibi assentari) te sequetur ex eo quòd assequutus tandem es coniectura, vel, vt vis ipse, diuinatione (quoniam OEdipi personam induisti) in quo assequendo tamdiu & tantopere laborasti. Te enim tandem in ipsam siue coniecturam, siue diuinationem, vel potius in rem ipsam, introduxi. KÆN. Tu gloriæ meæ inuidere, aut subinuidere saltem videris: ideóq; addidisse postremò illa, *quæ denig, non alius rei quàm honoris sitibundos homines reddit*. Sola enim sunt hæc, propter quę meam diuinationem ita floccifacis, aut potius ne flocci quidem facis. Atqui iam mentis meæ acies eò penetrauerat quò oportebat. Non secus igitur feciſti, quàm si mihi dimicanti, tum

maximè auxiliari voluisses, quum labascentem hostem vidisses. Cæterùm cuiusdam tuæ descriptionis recordor, vbi si vna tantùm litera mutata fuisset, magno te pariter ac me labore leuasses, ac verè dicere potuisses quod modò dixisti, te in rem ipsam me introduxisse. COR. Scire cupio quæ sit illa descriptio. KÆN. Qua dixisti, eam de qua loquebaris magnam dominam, *multos homines suorum bonorum dulcedine ebrios, sed nunquam contentos, reddere.* Hîc enim si, vnica litera mutata, *honorum*, non *bonorum*, dixisses, verum futurum erat quod mihi obijcis. Sed ad ipsum tandem Salustij locum veniendum est. COR. Eum tibi nec inuidebo, nec (vt paulo ante de me loquutus es) subinuidebo. En tibi illum: *Ambitio multos mortales fieri falsos subegit: aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere: amicitias inimicitiasq; non ex re sed ex commodo æstimare: magisq; vultum quàm ingenium bonum habere.* KÆN. O quàm multi mecum falluntur! quippe qui persuasum vel potius persuasissimum itidem

dem habent, Saluſtium hæc de Catilina ſcripſiſſe. COR. Mihi nequaquam nouum eſt, in eos incidere qui in ſcriptorum veterum locis quibuſdam citandis non hoc tantùm ſed alijs etiam modis fallantur. Et verò ſiqua vſquam venia digni ſunt, hîc certè eam mereri videri poſſunt: quòd illud dictum Saluſtianæ deſcriptioni ingenij Catilinæ conuenientiſſimum eſt. Sed dic, ſodes, an in iſto Saluſtij loco agnoueris duas ſententias, quibus etiã ſum vſus, quum tibi dominam iſtam, quæ Ambitio vocatur, ſuis depingere coloribus vellem. KÆN. Agnoui: recordabar enim te hæc inter cætera, de ea dixiſſe, *eſſe dominam quæ multos mortales fieri falſos ſubegit*. Verùm hæc de tuo addidiſti, *ac quotidie ſubigit*. Quum autem hæc de Auaritia dici exiſtimarem, & tu me falli diceres, ſcio te addidiſſe, *hanc dominam multis mortalibus perſuadere, amicitias inimicitiaſque non ex re ſed ex commodo æſtimandas eſſe*. Ac memini me in his quoque falſum fuiſſe, quum & ipſa in Auaritiæ ingenium caderent.

Misok. Ecce, quendam huc perproperantem conspicor, qui vereor ne verè sit illud quod Kænophilus de se pariter & de me si non dixisse te, Coronelle, at cogitasse saltem existimauit: vnde & tragœdiola suborta est. Cor. Vereris ergo ne sit increpellator. Mis. Hoc ipsum. Mei certe futurus est auocator. iam enim illum agnosco. Kæn. Si te aduocatum præbere te mihi soleres, à nobis auocatum esse, valde ægrè ferrem: sed tantum abest vt mihi vnquam velis esse συνήγορος, vt etiam sis κατήγορος. Cor. Seriò potius de hac auocatione loquendum est. Misok. Audio ex puero, quod suspicabar: auocor. Cor. Illum dicebas huc per properantem te cernere: sed præproperantem addere poteras. Præproperus enim sermonibus nostris futurus est, si te est à nobis auocaturus. Sed nónne ad aliquã excusationẽ confugium inuenire potes? Mis. Nullũm mihi in mentem venit. Cor. Vulteius ille Horatianus apud Philippum illũ strenuum & fortem, ac causis ágendis clarum, *excusabat*

labo-

laborem & mercenaria vincula, quòd domum eius non venisset: & veniam ab eo impetrauit hæc excusatio: quidni tu literaria vincula apud tuos excuses? MISOK. Non frigida solùm sed gelida esset apud illos hæc excusatio. COR. Téporis huius habitum præ se ferret tua excusatio. tantam enim hyemis asperitatem omnia, frigida, & quædam gelida etiam reddere, mirum non fuerit. Sed quid si sonticam esse causam fingeres? MISOK. Figmentum meum statim innotesceret. COR. Te igitur retinere aut diutius detinere consultum non est. Quo enim te diutius retineremus, eo diutius nobis tuus reditus exspectandus esset. Quum autem contrà te ad nos intra breuissimũ temporis spatium esse reuersurum sperem, dimidium vale tantummodo tibi dicam. KÆN. At ego liberalior integrum vale tibi sum dicturus.

COR. Vísne, Kænophile, dum abest Misokænus, de illo Salustij loco interea disserere pergamus? KÆN. Volo, vel potius peruolo. COR. Hinc igitur

initium sumam: potuisse alioqui Salustium, de Ambitione ita loqui, vt tibi facillimum esset, de qua domina loqueretur, coniectura assequi: præsertim verò, siquid de honoris cupiditate præcessisset. Exempla tibi afferre volo, atque interim Salustianizare. KÆN. Rem per mihi gratam facies: ac eo certè gratiorem, quòd philosophationi nostræ argumentum ad philosophiam moralem pertinens erit propositum. COR. Si igitur (exempli gratia) fuisset ita loquutus Salustius, Ambitio neque dicere neque facere quidquã pensi habet, dum honorem & gloriam cõsequatur. Vel ita, Ambitio multos mortales spe honoris (vel, spe gloriæ) transuersos egit: (eodem quo dixit modo in bello Iugurthino, de quadam opportunitate, *Præterea opportunitas suæ liberorúmque ætatis, quæ etiam mediocres viros spe prædæ transuersos agit*) tunc certè si tibi ipsum Ambitionis nomen reticẽs, dixissem tantùm. Est domina quædam (vel magna quædam domina) quę multos mortales spe honoris (vel, spe

magna

magna gloriæ) transuersos egit: vix fieri certè potuisset quin quod esset illius magnæ dominæ nomen, in mentem tibi statim veniisset. Ac multo etiam minus dubitasses quin de Ambitione loqueretur, si subiuncta illa fuissent, *Est domina quæ multos mortales fieri falsos subegit.* quinetiam sequuta fuissent illa, *Est domina quæ multis mortalibus persuadet, amicitias inimicitiásque non ex re sed ex commodo æstimandas esse.* KÆN. Exabundanti & hæc, & quæ proximè recitasti, à te adiecta fuissent. Statim enim, te de Ambitione loqui animaduertissem, facta mentione cupiditatis honoris, siue gloriæ. Qua tamen cupiditatis appellatione scio te vsum non esse: sed ex illis verbis, *multos mortales spe honoris transuersos egit*, illa cupiditas satis intelligitur: quum speremus ea quæ cupimus: & quidem esse acrem ac vehementem cupiditatem necesse sit, quum spes adipiscendi eius quod cupimus nos transuersos agit. Quemadmodum igitur ignoscendum mihi nō fuisset si illa honoris vel gloriæ mentio à te facta foret,

ita sum venia dignus quũ facta non fuerit. Quis enim alioqui illa quæ mihi antea ex eodẽ scriptore proposuisti, non fateatur tam de Auaritia quàm de Ambitione posse dici? Cor. Ideo iam tibi datam esse veniam credito. Interim verò tuus ille error (si tamen, quum fallitur coniectura nostra, errorem id vocare oportet) materiem præbet vtriq; nostrũ considerãdi, sicut virtutes inter se habent quędã communia, sic & vitiis quibusdam idẽ vsuvenire: sicut in duabus dominis Ambitione & Auaritia hîc videre est. Et verò Saluſtius, in eo de quo iam sæpe dictũ fuit loco, facta mẽtione Auaritiæ, statim ad Ambitionem transit. Kæn. Sed maiorem gratiã appellatio dominarum haberet, si Latini dominas, quæ virtutum sunt aduersariæ, nomine fœmineo appellarent: sicut Græci κακίας vocantes quæ Latini vitia vocant, aptissimè dicunt hanc vel illam κακίαν esse μεγάλην δέσποιναν. Interim verò considerani (dum tu maiora considerasti) bellè conuenire cum dominę appellatione illud *subegit*, quo Saluſtius de

de Ambitione vsus est: Hoc enim est illā tacitè dominā, aut etiā magnā dominā, vocare. COR. Cogito iam mecū, an de Ambitione loqui me intellexisses, sī rē ita tibi proposuissē, Est domina cui cupiditas præ Auaritiæ cupiditate tolerabilis à nonnullis iudicatur: Vel, excusabilis iudicatur. KÆN. Intellexissem fortasse. COR. Vel, si rē his tibi verbis proposuissem, Est domina, cuius studiū non tam turpe quàm Auaritiæ, sed plerunque non minùs est damnosum. Vel potiùs hoc modo, Est domina cuius studium per se quidem vix turpe iudicatur, sicut Auaritiæ, sed plerunque haud minus pernicioſum: ac nonnunquam est etiā pernicioſius. KÆN. Non dubito quin te de Ambitione loqui intellecturus fuerim. COR. Volui autem cautiùs de studio Ambitionis loqui posteriùs, quàm mihi viderer loquutus esse prius. Ac nescio tamē an satis cautè tunc saltem de eo loquutus sim. Recordatus sum certè, dum in eo sermone essem, loci huius Saluſtiani, (qui paruo interuallo sequitur quæ de Am-

bitione iam aliquoties audiuimus) *Sed primò magis ambitio quàm auaritia animos hominum exercebat : quod tamen vitium propius virtuti erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus & ignauus æquè sibi exoptant : sed ille vera via nititur : hic, quia bona artes desunt, dolis atque fallacijs contendit.* Hîc primùm quidem minimè dubium est quin de Ambitione, non de Auaritia, illud dicatur, *quod tamen vitium propius virtuti erat* (siue *est*, vt aliis in libris legitur: sicut & *propius virtutem*, in ijsdem) quamuis Latinæ linguæ consuetudo videri cuipiam possit exigere potius vt ad vocabulum auaritia referatur, vtpote proximè præcedens. Vnde etiam factum est vt quidam locum illum, mutato verborum ordine ita legendum suspicaretur, *Sed primò magis auaritia quàm ambitio animos hominum exercebat.* Et habet certè hæc emendatio, prima fronte, aliud etiam, & quidem maius, quo se tueatur. Nam antea de auaritia priùs quàm de ambitione loquutus erat : ac (quod longè firmius est argumentum) dixerat, *Igitur*

tur primò pecuniæ, deinde imperij cupido creuit: ea, quasi materies omnium malorum fuere. KÆN. Firmissima igitur ratione emendatio illa, meo quidem iudicio, nititur. COR. Firmissima in speciem ratione nititur: éstque (vt Græci loquuntur) εὐπρόσωπος: sed. KÆN. Miror quid ei velis opponere. COR. Itáne hominem mirabundum (quantumcunque sit mirabundus) interrumpere sermonem decet? KÆN. Ignosce. nam tua subhæsitatio post vocem illam εὐπρόσωπος, & mea interruptio, concurrerunt. COR. Sed (dicere volebã) euertitur tamen illa emendatio, & ordinis verborũ mutatio, à quodam qui valde paruo sequitur interuallo. KÆN. Quis ille est? COR. Iste: *Sed postquã L. Sylla, armis recepta republica, bonis initijs malos cuentus habuit, rapere omnes, trahere domum alius, alius agros cupere: neque modum neque modestiam victores habere: fœda crudeliáque in ciues facinora facere.* KÆN. Cur hîc *alius* vtrobique, nõ *álius*, pronuntiasti? COR. Quoniam hunc locum ita intelligo, Omnes cœperunt

rapere, trahere, & alîus domum, alîus agros cupere. Perinde acsi diceret, Omnes bonorum alienorum cupiditate tanta teneri, vt qui iam vnius domum occupasset, alterius agros occupare cuperet. At si legatur & pronũtietur *álius*, nõ tanta & tam insatiabilis cupiditas describetur: & cum illo aliquod genitiui casus nomen extrinsecus sumendum erit. Verùm, vt ad illud propter quod locum hunc attuli, veniam, si quæ hîc scribuntur consideres, videbis opponi ijs quæ ibi dixit, *Sed primò magis ambitio quàm auaritia animos hominum exercebat.* Perinde ac si diceret, Sed primò quidem talia erant hominum ingenia vt ambitio magis quàm auaritia animos hominũ exerceret: at postea, quum contigisset vt L. Sylla, armis recepta republ. bonis initijs malos euẽtus haberet, rapere omnes, trahere. KÆN. Tibi tandem manus dare cogor. Dicerem verò & herbam porrigere, nisi tuam si non reprehensionẽ, saltem irrisionem timerem. Quæ tamen pletunq; aliquid cum reprehẽsione commune

mune habet. COR. Dum abest Misokęnus, multa tibi potes permittere, quę illo præsente vix auderes. KÆN. Quomodo hosce duos huius nostri Salustij locos conciliabis? nam hoc tibi operis relinquitur. COR. Nihil dicis quod non præuiderim. KÆN. Tanto esse debes paratior. COR. Non tantùm paratum, sed paratissimum (vt spero) ad respondendum inuenies. KÆN. Rogo igitur vt non differas. COR. Immo, dum me vt non differam rogas, facis vt interim differam. Hoc enim mihi in promptu est quod respondeam: Salustium antea quidem dixisse, primò pecuniæ, deinde imperij cupidinem creuisse: atque hæc quasi materiem omnium malorum fuisse: sed interiecta fuisse hæc verba, *Pòst, vbi contagio, quasi pestilentia, illos inuasit, ciuitas est immutata: imperiũ ex iustissimo crudele intolerandúmque factum.* KÆN. Te mihi haud tam facilè satisfacturum putabam. COR. Nihil igitur illi meo responso addam: sed monebo tantùm de hoc quoque ἐν παρέργῳ, ad veram lectionem quod attinet, mihi

magis placere vt *pestilentiæ* legatur. Intelligitur autem contagio non minus contagione pestilentiæ grassans. KÆN. Habeo quod illi meæ obseruationi cuius paulo ante mentionem feci adijciam. COR. Non iam recordor quænam ea sit. KÆN. Non recordaris me dixisse, obseruasse me, in hoc loco Salustij, *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit*, pulchrè conuenire verbum *subegit* cum illo nomine quod Ambitioni dabas, eam vocans dominã, & quidem magnam dominam. COR. In memoriam mihi reuocas illam obseruationẽ. KÆN. Nunc igitur aliam eodem pertinentẽ addo: ac dico, tale esse verbum exercebat: in hoc quem paulo post habemus loco, *Sed primò magis ambitio quàm auaritia animos hominum exercebat.* Scis enim quàm significans sit istud vocabulũ *exercebat*. Sed Misokænum nõ reuerti valde miror. CORONEL. Vísne, dum ipsum exspectamus, aliquid in eo ipso vbi versamur loco excutiamus? KÆN. Quidni vellem? COR. Antea tibi recitaui ista, *Sed postquam L. Sylla, armis*

mis recepta republ, &c. hæc autem, proximè præcedunt, de auaritia, *Ea, quasi venenis malis imbuta, corpus animúmq; virile effœminat, semper infinita, insatiabilis est: neque copia, neque inopia minuitur.* Vide numquid sit inter ista, quod tibi negotium exhibeat. KÆN. Attentè prius recolenda sunt. COR. Lentè ea recitaui: ita vt à me repeti, nihil esse necesse existimem. KÆN. Nihil necesse est. COR. Considera diligenter antequam respondeas. KÆN. Omnibus diligenter & attentè consideratis, mihi negotium hæc tantùm postrema facessunt, *neque copia neque inopia minuitur.* COR. Quomodo à te intelliguntur? KÆN. Interroga potius an ea satis intelligam. COR. Dicam tibi cuiusdam hoc de loco coniecturam, si fortè tibi ad assequendum eius intellectum esse adiumento possit. KÆN. Si non adiuuet, saltem nihil nocebit. COR. Putabat ille scribendum ibi esse, *neque copia augetur, neque inopia minuitur.* Vel, *neque copia crescit, neque inopia minuitur.* KÆN. Non placet ista coniecturalis emendatio. COR. Vide

ne sis prœproperus in ferēda sententia. KÆN. Immo ne properus quidem esse soleo in ferenda de huiusmodi emendationibus sententia. COR. Si prudenter (contra quàm multi) in illis te gerere soles, idem nunc quoq; facito. KÆN. Longiore apud me consideratione emendatio illa minimè opus habet: eam dico & semper dicam reijciendam esse. Negare enim, auaritiam copia augeri, siue crescere, perinde est ac si negemus verè dictum esse, auaros similes illis esse quibus *intumuit suffusa venter ab vnda*, quibus *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*. COR. Laudo hanc tuam obiectionem. KÆN. Sed non satis est tibi illam emendationem mecum reijcere: videndum vt illa reiecta, etiam eijcias mihi ex animo omnem de hoc loco suspicionem. Suspicor enim esse mendosum: & suspicabor donec quampiam eius satis commodam expositionem attuleris. COR. Meum erit, conari tibi satisfacere: tuum, liberè dicere an tibi satisfactū fuerit. Iam igitur, illud prius, auaritiam copia non minui, nullā apud

te ex-

te expositionem requirit: (quomodo enim copia minueretur, quum etiam, sicut & ipse ex Nasone probasti, augeatur?) at posterius hoc, eam non minui inopia, sic accipiendum arbitror, eam, si fortè videat se maximis quos ad explendam suam cupiditatem fert perfértque curatum plenis laboribus atq; ærumnis, parum proficere, & inopem nihilominus manere: tamen neque suam illam cupiditatem neq; suos illos ob eam labores minuere. Hæc est mea expositio: quam si tibi non vsquequaque satisfacere dixeris, haud valde mirabor. Nam ne mihi quidem ipsi vsquequaque satisfacit. KÆN. At ego, si vsquequaque mihi satisfacere eam dixero, quod verum est dixero. COR. Aliud est quoddam Salustij dictum, breuissimo hunc locum interuallo præcedens, vbi multo magis hæreo quàm tu hæseris (vt opinor) in eo cuius expositionem meam fuisse tibi acceptam video. Fortasse autem in eo mihi explanando par pari referes. KÆN. Quasi verò, quod tibi nodus est, mihi scirpus

esse possit. COR. Sed quid si ego nodum in scirpo quæro? KÆN. Non es eorum ex hominum genere in quos iactari solet prouerbium. COR. Veniam ad locum illum, siue nodosum, siue scirpeum: *Nam gloriam, honorem, imperium, bonus & ignauus æquè sibi exoptant.* KÆN. Quæ plana sunt, explanatione opus non habent: quid autem planè & apertè à Salustio dictum est, si hoc ita dictum non est? COR. Aliúdne hîc intelligis quàm quod prima fronte ipsa verba sonant? KÆN. Nequaquam. COR. Tantundem igitur atque tu hunc locum intelligo: sed quod intelligo suspectum habeo: & adeo quidem vt etiam falsum esse iudicem. KÆN. Quænam verba locum hunc excipiunt? COR. Ista: *Sed ille vera via nititur: hic, quia bonæ artes desunt, dolis atque fallacijs contendit.* Vides hæc optimè illis respondere: sed fortasse hîc quoque aliquid suspectum tibi est. Verùm ecce tandem Misokænum.

MISOK. PAVLO fuit longior absentia mea quàm putaram: etiamsi negetur

getur esse sapientis, dicere, non putaram. ΚΑΕΝ. Καλλίστης, ἡδίστης, χρησιμωτάτης διαλέξεως ἀπηλείφθης, ὦ Μισόχμης. MISOC. Καλλίστης, ἡδίστης, χρησιμωτάτης γ' ἂν πραγματείας ἔμελλον ἀπολείπεσθαι, ταύτης τῆς διαλέξεως οὐκ ἀπολειπόμενος, ὦ Φιλόχμης. COR. Vnde nunc tantum Græci sermonis? Putat fortasse Kænophilus te, ex quo à nobis discessisti, cum Græcis, aut saltem cum Græcè loquentibus versatum esse: ita vt iam Latinus sermo tibi sordeat. MIS. Siue hoc siue aliud putet, miratus sum, eum Græco me sermone ex improuiso aggredi. COR. Fateberísne mihi verum, Kænophile? KÆN. Fatebor tibi verum, quantum in me erit. COR. Quod hoc loquendi genus est? nónne semper in te esse potest verum fateri? KÆN. Nequaquam: eo quidem certè modo quo à me intelligitur. Sed hoc est τῶν ἀποῤῥήτων vel potiùs τῶν ἀποῤῥητοτάτων. COR. Non igitur amplius de hoc inquiram: sed tantum experiar quàm libenter verum fatearis. KÆN. Experire. nam *quid tentare nocebit*? COR. Immo certè (ne fallaris) me hoc tentasse, nociturum tibi est.

Nam si semel cognouero te non ἀληθεύειν, dabo operam vt potius cogaris procul à nobis ἀληθεύειν, quàm inter nos commorans dicaris ἀφισσεύειν. KÆN. Hui quid sibi hæc verba volunt? non rimarum (vt ille apud Terentium) sed minarum plenus es. Verùm quidnam tandem illud est de quo tu tantopere cupis me ἀληθεύειν? COR. Annon Lucianizaueris in Græcis illis quibus Misokænum aggressus es verbis. KÆN. Si citius de hoc me interrogasses, citius vera fatentem audiuisses: & dicentem, rem ex parte ita se habere. nam illud genus loquendi στόματος ἴυγὲς ἀπολείπειν apud Lucianum non vno in loco legitur. MISOK. Sed ego interim hîc seorsum à vobis sedeo, cogitabundus pariter & mirabundus quænam me absente potuerit illa esse inter vos sermocinatio, talis qualem mihi eam Kænophilus depinxit. COR. Quid? putásne Misokæne tantam rem esse quantam Kanophilus prædicat? annon scis illum è musca solere elephantem facere, vt ipse antea de me loquutus est? KÆN.

Anti-

Antiquum & vetus est, atq; adeo priscum, è musca elephantem facere. Mis. Cur id ais? KÆNOPH. Quia ipse Homerus è muscis elephantes quodammodo fecisse videri potest, cum alibi, tum vbi eas ἄγεια φῦλα vocat. Nam de gigantibus itidem dictum legimus, ἄγεια φῦλα γιγάντων. Neque tamen omnino è musca elephantem hîc facere dici possum. MISOK. Scire cupio qua de re fuerit illa sermocinatio. COR. Sumpta occasione ex illo Salustij de ambitione loco qui te præsente à me allatus fuit, & ex ijs quæ de illius definitione diximus, ad alia venimus quæ huic definitioni accommodata essent (Salustiano etiam sermone vtendo) ac citati fuerunt alij huius scriptoris loci, de quorum vera lectione disceptatum fuit. Quum autem aduenisti, in quendam inquirere cœperamus, qui maioris quàm quiuis alius est momenti: vnde futurum est vt in hanc inquisitionem non malè aliquod temporis spatium collocemus. MIS. Illum obsecro locum mihi recita. COR. *Nam gloriam, honorem, impe-*

rium, bonus & ignauus æquè sibi exoptant. MIS. Quid hoc de loco dicebas Coronelle? COR. Eum mihi suspectum esse. MIS. Quid eum tibi reddere suspectum potest? COR. Video iam te mirari quod ego mirabar, atque adeo demirabar. Præsertim verò quum ea quæ proximè subiunguntur, optimè cum illis consentiant, fieri non potest quin magis ac magis mirer. Hæc enim absque vllo interuallo sequuntur, *Sed ille vera via nititur: hic, quia bonæ artes desunt, dolis atque fallacijs contendit.* MISOK. Sicut hoc dictum omnino assentitur illi proximè præcedenti, ita ego Philokæno assentior, miranti te prius illud in suspicionem vocare. COR. Meam mentem nõ assequimini. me enim locum illum erroris à librario admissi suspectum habere arbitramini, quum ego ad errorem respiciam qui admissus mihi videtur in vnum ex philosophiæ moralis axiomatis. Cogitate enim apud vos quomodo rationi & doctrinæ de moribus consentaneum sit vt dicamus, bonum & ignauum gloriam, honorem,

rem, imperium eque sibi exoptare. Ante omnia autem de hoc inter nos constare debet, quem appellatione boni significare velit. MISOC. De hoc facilè constabit, quum ei ignauum opponi videamus. Vel potius de hoc iam constat, more Græcorum præsertim, poetarum, vocari bonum, eum qui sit gnauus ac strenuus. Ab illis enim appellatur ἀγαθὸς, necnon ἐσθλός: éstque poeticum hoc, potius quàm illud. KÆN. Sed cur non dixit, *bonus & malus*, sicut vicissim κακὸς de ignauo quoque à Græcis dicitur? aut cur non, sicut ignaui, ita & gnaui vel strenui appellatione vsus est? Vel hoc enim vel illo debuisse loqui modo videtur, vt concinna esset antithesis. COR. Si vocibus illis, bonus & malus, fuisset vsus, falli lector potuisset, generali eas significatione dici existimans. Alteras autem illas voces sermoni suo adhibere potuisse fateor, absque eodem illo (vel potius absque vllo) periculo: sed voluit Salustius hoc etiam in loco Salustius esse: id est, à publica & trita sermonis (vt ita dicam) via disce-

dere: ideóque suæ antithesi duo vocabula adhibere quæ eiusdem generis non essent: si ita loqui licet. Sic autem hunc scriptorem à publica & trita sermonis via in quibusdam alijs discedere (præterquam quòd est antiquarius) aliquot exemplis alio tempore vobis planum faciam: si huius mei promissi memores fueritis. MISOK. Non est quòd metuas ne immemores nos esse contingat. CORON. Sermonem igitur meum persequens, dico: quum hac de re Salustium, de gnauo & strenuo déque ignauo, loqui, inter nos cóueniat, scire velim an eodem vtrumque modo natura comparatũ esse putetis. KÆN. Quî fieri hoc posset? MIS. Idem te ab ore Misokæni responsum tulisse existimato. COR. Nunc quæro an ignauo non minus cum virtute commercij quàm gnauo & strenuo esse credatis. KÆN. Subabsurdum videtur, (quod pace tua dictum sit) responsum tam absurdum à nobis exspectare. Quid enim ignauo cum fortitudine, aduersaria sua, esse commercij queat?

queat? COR. Atqui, vnde in animis hominum cupidinem veræ laudis & gloriæ, veri honoris, excitari arbitramini? nónne à virtute? KÆN. Quidni hoc fateamur? COR. Fatendum certè est. constat enim, virtutem reddere hominem sibi bene conscium, ἐκ τοῦ κατορθώματος. Nam qui se officio suo functum esse, sibi conscius est: is profectò sibi benè conscius dici potest. Contrà autem malè sibi conscius sit necesse est qui ignauus: quem Salustius ipse fatetur dolis atque fallaciis contendere, quòd bonas artes sibi deesse videat. Iam verò alter ille, qui officio suo, id est sibi à virtute iniuncto, functus est, & ad fungendum in posterum est animatus, nónne vel ab illa ipsa cuius acres in animo & acriter pungentes sensit aculeos, laudem & gloriam, atque honorem, meritò, tanquã præmium sibi debitũ, poscat? Tantum abest enim vt strenuè & fortiter facta, minùs quam alia κατορθώματα, à virtute proficisci censeantur, vt virtutis nomen ad fortitudinem sæpe, apud poetas præsertim & historicos,

restringatur. Ac(ne longiùs abeamus) noster Salustius, in illa egregia M. Catonis & C. Cæsaris comparatione, ita loquitur de illo, *Non diuitijs cum diuite, non factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat.* Et paulo antè, de C. Cæsare verba faciens, *sibi magnum imperium, exercitum, nouum bellum exoptabat, vbi virtus eius enitescere posset.* Nec verò mirum est virtutis appellationem sic interdum ad fortitudinem restringi solitam: quum non aliunde maiorē quàm ex armis gloriā pōsse comparari, multis persuasum fuerit. Atque hinc Horatius,

Res gerere, & captos ostendere ciuibus hostes,
Attingit solium Iouis, & cœlestia tentat.

MIS. Es ijs quæ te afferentem audiuimus, inferret aliquis, Salustium adeò non debuisse dicere, bonū & ignauum æquè gloriam, honorē, exoptare (nam de imperio taceo) vt ne κατ' ὄναρ quidem ab ignauo exoptari dicendum fuerit.

COR. Ex ijs quæ memorata sunt à me, id se-

id sequi videri posset, relinquendam esse ignauo solam imperij cupiditatem (sicut etiam illi relictam à me iam videtis) quam cum opum cupiditate coniunctam esse constat: quum dolis ac fallacijs & has & illud acquiri sępe, (quibus ignauum contendere, quòd sibi desint bonæ artes, fatetur Salustius) nunquam veram laudem & gloriã, videamus. Vt omittam, verum veræ laudis & gloriæ amorem ex virtute proficisci, & nonnisi in generosum pectus (aut saltem à generoso non abhorrēs) ac plerunq; sibi etiã catorthomatis alicuius conscium, cadere solere. Illud, inquam, quod dixisti, ex ijs quę memoraui, videri posset, si stricto iure cum Salustio agere vellē: sed mihi satis erit hanc ei confessionem elicere, siue exprimere (nam extorquere nolim) siqua ignauis quoque inest gloriæ & honoris cupiditas, eam nullo modo cum gnauorum & strenuorum cupiditate posse comparari. MRS. Ad hanc confessionē facilè adduci potuisse crediderim. KÆN. Tuo calculo meum addo, Mi-

sokæne. Sed debui fortasse, breuitatis causa, dicere potius, σύμψηφος εἰμί σοι. Mis. Verùm, vnde illud habes? à virtute laudem & gloriam, tanquam præmium, exspectari. Alij enim volunt, si satis eorum mentem assequor) vnumquemq; officio suo ad virtutis normam fungentem, persuasum habere, functionem illam esse sibiipsi præmium: atque hunc versum afferunt,

Ipsa etenim virtus sibimet iustissima merces.

Cor. Cùm aliunde tum ex Horatio illud habeo. Mis. Quo è loco? Cor. Ex epistola ad Scæuam scripta, cuius initium est, *Quamuis Scæua satis per te tibi consulis.* Mis. Eorum quæ ibi scripta sunt recordor: & nihil tale me legere memini. Cor. Hoc tibi fateor me ibi voculam & in *vt* mutare. Nam solet ita scribi ille cuius autoritate nitor locus,

—aut virtus nomen inane est,
Aut decus & pretium rectè petit experiens vir.

at ego posteriorem versum ita scribendum contendo,

Aut

Aut decus, vt pretium, rectè petit experiens vir.

MISOK. More istud tuo facis, Coronelle, vt leuibus in corrigendis locis mutationibus vtaris. Leuior certè hæc esse nulla potest, quum tantummodo literula *e* in *u* mutetur, ex *&* faciendo *vt*. Verùm considerandus est totus locus. COR. Dixerat antea,

Sedit qui timuit ne non succederet. esto:
Quid? qui peruenit, fecítne viriliter?
atqui
Hic est, aut nusquam, quod quærimus. hic
onus horret,
Vt paruis animis & paruo corpore maius:
Hic subit, & perfert.

Atque his subiungit illa,

——aut virtus nomen inane est,
Aut decus & pretium rectè petit experiens
vir.

Quid autem hoc sibi vellet? virum experientem, rectè (id est meritò) petere non decus solummodo, verumetiam pretium. MISOK. Videamus quis sit hic quem vocat virum experientem.

COR. Non dubito quin is sit de quo dixit, *fecítne viriliter?* Respondet autem hoc loquendi genus *Facere viriliter* Græco verbo ἀνδρίζεσθαι: atque ad id respexisse Horatium verisimile est, qui libenter Græcum sermonem æmulatur. Vnus (inquit) horret onus tãquam pusillanimitati suæ suóque paruo corpori non cõueniens: alter subit, ac perfert etiam: quid? nónne hic dignus est qui saltem decus, tanquã pretium suæ fortitudinis, petat, atque hoc reportet? MIS. Sed cur vsus est illa voce *experiens?* COR. Perinde est acsi diceret, Qui audet periclitari illa quæ cæteri non audent. Nam Periclitari & Experiri tantam affinitatem habent vt interdum illi Periclitari subiungatur hoc Experiri. Quod autem dicit,

—— *aut virtus nomen inane est,*

conuenire videtur cum eo quod in alio huius primi epistolarum libri loco scribit,

—— *virtutem verba putas, vt lucum ligna?*

MISOK. Quid huic opponi sermoni possit,

possit, non video. Alioqui, si non contentus quis è virtute, id est, aliquo ex facto virtuti consentaneo, (aut breuiùs, è catorthomate quopiam) decus, siue laudē & gloriam, reportare, aliud pretij loco, seu præmij aut mercedis, petit, scire velim quídnam illud sit, & cur id taceatur ab Horatio. COR. Gratias tibi de tuo patrocinio ago. MIS. Quis tam bonæ causæ non libenter patrocinetur? COR. Addi autem hoc potest, Horatium, ita loquentem,

Aut decus & pretium rectè petit experiens vir,

aliquid dicere quod magis etiam abhorrere à ratione videtur quàm à te obiicitur: éstque tamen velut quædam ad illum tuum sermonem appendicula. Ita enim loquitur, acsi decus, siue laus & gloria, aut etiam honor, ne pars quidem pretij seu præmij esset quod à virtute & peti & exspectari debet. MISOR. Non recusem istam obiectiunculam meæ obiectioni, velut appendiculam (vt tu vocas) adiicere. Verùm ex te scire cupio annon in aliqua tuarum

in Horatium Diatribarum, quæ tuis huius poetę editionibus adiunctę sunt, mentionem huius emendationis feceris. Cor. De priore saltē affirmare posse mihi videor, nullā in ea huius emendationis mentionem haberi: quum (si bene memini) nondum in mentem mihi veniſſet: sed in posteriore editione me aliis quibusdam emendationibus meis hanc adieciſſe crediderim. At verò in meis Schediasmatis de ea non tacuiſſe, haud me credere, sed certò scire dixerim. Misoc. Memoriæ meæ si non semper, diu saltem, hęrebit ista tua tanti momenti emendatio tantulę particulæ et. Cor. Possem aliam eiusdem particulæ in alio eiusdem poetę loco emendationē adijcere, comitem illi futuram: sed locus ille nihil ad hunc pertinet. Mis. Cum hoc istud saltem cōmune ei est, quòd eandem particulā sui deprauatricē habet. Cor. Fateor. Mis. Simul hoc fatere, te mihi inuidere notitiā illius non debere. Cor. Eo minùs eam tibi inuidere volo, quo magis insignis est locus, & quo magis lectoribus nego-

negotium faceſſit. Eſt enim hic,

—— qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe dolor quod ſuaſerit
& mens.

MIS. Beabit me loci huius emendatio, ſi tam εὔσοχος ſit quàm præcedens. Nam (nequid diſſimulem) ex ijs ſum quos multum diúque hæ voculæ torſerunt, *& mens.* COR. Locum iam dixi eſſe hunc,

—— qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit
& mens,
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.

MIS. Conſidero quod dixiſti, depraua-tionē huius loci, ſicut alterius (de quo dictum eſt) natam eſſe ex particula &: ac ſe mens mea in partes omnes vertit, quærens quid pro illa ſubſtitui poſſit: ſed nihil inuenit. Nihilo autem magis ab illa inuenitur quem poſſit locum habere hoc in loco vocula mens. Quid enim magis vetat mentem officio ſuo fungi quàm dolor? Vnde illud, *Ille dolore amens.* Rogo igitur vt me diu ſuſpenſum non teneas, ſed mihi illud

tuæ emendationis arcanum iam nunc patefacias. COR. Sicut in altero loco erat & pro *vt*, priore litera deprauata: ita hîc est & pro *ex*, per posterioris literæ deprauationem. MIS. Hoc mihi dicere, est nihil dicere: si quidem nihil addatur. COR. Addere volebam (nisi interrupisses) particulã *ex* cum vocula *mens* esse iungendam. MIS. Suspicor quem vsum dare velis huic vocabulo *exmens*: sed mihi nouitas eius suspecta est: sic tamen vt me subterreat potiùs quàm deterreat. COR. Minus etiam te deterrebit quum ante mentis oculos pones Græcam vocem ἔκφρων. Quidni enim, vt ex ἄφρων factum fuit *amens*, ita ex altera illa ἔκφρων fiat *exmens*? præsertim ab Horatio, nouatorum inter poetas principe. Quid principem nouatorum appello? amplius etiam aliquid dicere cuperem: quum ab eo vno plura quàm à cæteris simul omnibus esse nouata existimem. MIS. Sed opponet aliquis fortasse, non esse nouum tantummodo illud *exmens*, sed etiam durum. COR. Paulo esse mollius, vel potiùs paulo

paulo minùs esse durũ fateor verbum ἔκφων: sed videndum an Latina lingua nulla habeat non minus dura disyllaba, & quidem à particula *ex* incipientia. MIS. Recordor tantùm nominis *exspes*. COR. Quomodo in memoriam tibi venire potest vocabulum *exspes*, quin simul *exlex*, quod etiam durius est, in eam veniat? MIS. Venturum mox erat, vt opinor. COR. Mihi autem videor & *expes* pro ἄπους legisse: quum alioqui & *apes* dici posse videatur. Et verò Probus ac Priscianus apes vocatas scribũt, quòd sine pedibus nascantur: ac Luciani locus affertur vbi apem ζῶον ἄπουν appellat. MIS. Quum nulla de voce hac *exmens* esse controuersia possit, quin ab analogia locum in Latinitate obtinere possit: non video quid controuersiam tuam huius loci emendationem redditurum sit. Ideo, missum hunc de ea sermonem faciens, te de quodam Tibulli versu interrogabo, cuius vocula *mens* fecit vt recordarer: quoniam in eo scriptum est *mentes*, mirum quendam vsum (si non errauit librarius) habens.

Scis

Scis enim ab eo scriptum esse, aut saltem (vt tutius loquar) apud eum legi,

Non opibus mentes homini curæque leuantur.

COR. Non poterat (vt opinor) locus afferri qui cum illo altero aptius comparetur: quum poetæ sit vterque, & vterque in vna eadémque voce sit deprauatus, vterque ob depraualionem multũ facessat negotij, vterque alioqui (hic tamen præsertim) quod ad mentem ipsius scriptoris attinet, careat dubitatione. MIS. Sed nihilne prorsus tibi succurrit quod de significatione huiº vocabuli loco isti apta dici queat? aut (quæ secũda nauigatio est) nullúmne tibi in mentem vocabulum venit quod in sedem illius substituendum videatur? Diu de responso cogita. COR. Non tam, quid respondeam, quàm qui fieri possit vt non respondeam, cogito. MIS. Responsum à te extorquere nolo, quamuis magno eius audiendi desiderio tenear. COR. Et tuo desiderio satisfacere, & nullam interim honori meo iniuriã facere cupio. MIS. Proh, quale

quale fuerit illud tuũ responsum quod honori tuo facere iniuriam possit? Non agitur hîc de tali, qualia sunt iurisconsultorum, responso: vbi aliquid ipsi repugnans iuri à iurisconsulto responderi potest. COR. Hoc scio: sed tamen hîc quoque de honore agitur: nisi promittas, te meam de huius loci emẽdatione coniecturam non esse eliminaturum, ac ne expectoraturum quidem. MIS. Hoc promitto, & stare promisso volo: nisi fortè illius expectorandi & eliminandi venia mihi à te aliquando tandem detur. COR. Dico, minima hîc quoque (quantũ possum σχάζειν) mutatione opus esse. Vnicam enim literam mutandam esse, quæ prima est in illa voce *mentes*. MIS. Percurro omnes literas, seruata serie alphabeti: sed nullam animaduerto quæ illi ἀσήμῳ alioqui voci *entes* (hæc enim, detracta prima litera, restabit) aptè præfigi videatur. COR. Quid si litera S illi præfigatur? MIS. Velles igitur *mentes* in *sentes* mutari. COR. Vellet mea coniectura. MIS. Non miror si illam tam-

diu clausam pectore tenebas. COR. Extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda. MIS. Quo propiùs hanc emendationem intueor, eo mihi verisimilior videtur. Quidni enim sentes & vepres per metaphoram de curis, sicut & spinas, dicamus? quidni senticosas, sicut & spinosas, eas appellemus? COR. Aliquid tamen me desiderare melius fateor: & an εὔσοχος hîc sim, valde dubitare: sed interim minimè dubium mihi esse illud *mentes* ferri non posse.

MIS. DVM aures sermonibus nostris non præbes, Kænophile, sed alias res agis, quod è re tua est non agis. KÆN. Mirus libri cuiusdam (in quem incidi) titulus non tam aures quàm mentem à sermonibus vestris paulisper auocauit. MIS. Interim verò feciſti vt illud de te vicissim queam dicere, φεῦ, ὡς καλοῦ ἀκούσματος ἀπελείφθης. vel potius ὡς καλῶν ἀκουσμάτων. KÆN. Itáne contigit mihi ὑστερίζειν, vt omnino post festum venire dicendus sim? Nihilne reliquum mihi feciſtis? Saltem quod argumentũ fuerit sermonis vestri, aut sermonum vestrorum,

strorum, facite vt sciam. COR. Inquisitio in illum Salustij locum vbi dicit bonum & ignauum æquè sibi honorem, gloriam, imperium exoptare, fecit vt in quosdam παρέργους sermones, licet inde occasionem caperent, digrederemur: sed alia restat in alium eiusdem scriptoris locum inquisitio: ad quam quum venire subdubitarem, tua præsentia omnem & dubitationem & subdubitationem mihi adimet. Dicere enim potero aliquid etiam plus quàm illud, οὐ τε δὺ ἐρχομένω: quum tres futuri inquisitores simus. Locus autem is paruo interuallo alterum illum præcedit: ac ibi de ambitione ita loquitur, *Quod tamen vitium propius virtuti est.* KÆN. Cur vix audebas in hunc pariter locum inquirere? COR. Quoniam vereor ne nimius inquisitor audiam. KÆN. Neutram inquisitionem nos eliminaturos pollicebimur. COR. Hac conditione à me hanc quoque impetrabitis. KÆN. Quæ igitur ea est? COR. Videndum esse an credibile sit, Salustium, de ambitione & auaritia loquentem, dixisse

ambitionem propius virtuti (vel virtutem) esse. Nam si per comparationem cum auaritia hoc dixit, (quod negari posse non videtur) sequitur, auaritiam quoque prope ad virtutem accedere: sed nõ tam prope quàm ambitionem. Hoc autem dictum cuius patrocinio defendi poterit? Misok. Videtur certè, tum quum de ambitione dicitur illud, vix idoneum patronum inuenire posse. Atque hîc recordor eorum quę Porcius Latro sua in Catilinam declamatione (si quidem ille huius autor est) de ambitione illius scribit: *Nunc videndum est* (inquit) *de ratione ambitionis teterrima atq; exitiabili, qua deflagrauisse perpetuo Catilinam, superiori diuisione demonstrauimus.* Sed non de tali ambitione loqui Salustium, aduocatus, quicunque esset (si quem tam mala nanciscì causa posset) statim exclamaret: respondebit mihi fortasse aliquis. Fateor: sed quod ambitionis genus (nisi à se fictæ) in exemplum afferret, de qua posse illud dici, contendere auderet? Esto tamen, aliquod ambitionis exemplum

plum inueniri, de qua dici illud possit: at auaritiæ pariter exemplum vbi inueniretur? KÆN. Quid ergo? mendosumne esse locum illum suspicaris? COR. Vobis considerandum relinquã, suspicarine debeamus, Salustium non *est*, vel *erat* sed *abest*, vel *aberat*, scripsisse, simúlque *virtute*: an idem illi hîc quod altero in loco, de quo dictũ paulo ante fuit, vsuvenisse. MIS. Mihi non absimile vero videtur. COR. Gaudeo, finem huic etiam inquisitioni (si tamen satis inquisiuisse nos dicere possumus) impositum esse. Videtis enim me accersi. Spero autem fore vt non detinear, sed mox ad vos reuertar.

MIS. AVTOR sum, Kanophile, vt hanc absentiæ Coronelli (quæ breuis futura est) opportunitatẽ arripiamus, & in nostram de eo quod agẽdum nobis cum eo est, ac nos ad eum adduxit, consultationem, esse conuertendã cogitemus. Aptior enim se offerre vix potuit, & quæ nobis orium maius iterum consilia de illa re communi ãd offerret. Videndum igitur vt rem matureI 2

mus, atque ipsum de responso vrgeamus. KÆN. Me tibi assensorem habes: & verò idem tibi dicere in mente mihi erat. Sed vter nostrum prior ipsum aggredietur? MIS. Tu, qui & familiarior es & acceptior. KÆN. Immo maiorem mihi quàm tibi cum eo intercedere familiaritatē vix crediderim. MIS. Scio (nequid dissimulem) eum tua kænophilia, seu philokænia multo magis quàm mea misokænia delectari. Hinc mirum non est te illi esse acceptiorem. KÆN. A quibus igitur verbis sumēdum esse initium arbitraris? MIS. De verbis tuum fuerit cogitare: sed eorū hic sensus esse debet, mea quidem sententia: nos ad eum tam matutinos veniisse, vt ad implendum promissum suum, plenum (vt ita loquar) haberet temporis spatium. Illo enim fidem liberante, nos itidem nostram esse liberaturos: illo eam fallente, nobis necesse fore itidem fallere. In cęteris quę hunc sermonem, pro re nata, sequi oportebit, ego illum subsequar, & illi subseruiam. Omnino certè vrgendum esse illum censeo: nec amit-

amittendam hanc occasionem. Nam procrastinator est, in rebus præsertim huiusmodi. Et verò ad hãc ipsam quod attinet, non dubium est quin vsurpari de eo versus Martialis possit, mutata duntaxat prima syllaba,

Si non est hodie, cras minus aptus erit.

Hunc autem librum à me accipe, qui inscriptus est, HENRICI STEPHANI *Orationes duæ: Vna, Aduersus librum* VBERTI FOLIETÆ *De magnitudine & perpetua in bellis felicitate imperij Turcici: Altera, Ad expeditionem in Turcas fortiter & constanter persequendam exhortatoria.* Atque huic titulo subiunctum est, *Quæ vniuersis Romani imperij ordinibus Ratisbonæ conuentum habentibus ab eodem oblatæ & illis acceptissimæ fuerunt.* Sed ecce, Coronellus iam reuertitur.

COR. Ignoscite huic meæ non à proposito solùm sed à vobis etiam digressioni. Coactam enim fuisse videtis. KÆN. Venia haud est opus vbi non peccatur, quemadmodum vulgò dicimus. COR. Haud satis recordor vltimi sermonis nostri. KÆN. Nec, si recorda-

reris, ad eum reuerti operæpretium esset. Verùm aliquid est de quo sermonem à nobis, & quidem a te potissimum, haberi, plusquam operæpretium foret. COR. Quidnam illud est? obiecro. KÆN. Illud propter quod vnum tam matutini ad te accessimus, vt tu tanquam ad magnum miraculum Papæ papæax exclamaueris. Te enim ad implendum promissum tuum plenum & iustum temporis spatium habere voluimus. COR. Quod illud est promissum? KÆN. Quo te nobis obstrinxisti ante menses aliquot, priusquam ad illum ordinum Romani imperij conuentum (quem cum vulgo comitia sine risu appellare haud possum) proficiscereris. COR. Quo me promisso vobis obstrinxi? KÆN. Differendi nobiscum amicabiliter & familiariter de stylo Iusti Lipsij, siue, vt vulgus loquitur, de Latinitate Lipsij, (quamuis eius magna pars nihil minus Latinum esse contendat) tuámque nobis sententiam ingenuè & candidè exponendi. COR. Abiit vt me promissi huius nunc quo-

que

què immemorē esse respondeā. KÆN. Nec verò timebamus ne non in memoriā tibi statim reuocaremus. COR. Sed cur non id maturius fecistis? Neq; enim vos latet illa iurisconsultorum admonitio, *Bona nomina non appellando fiunt mala*. KÆN. Nihil tale de te metuebamus: sed illud nostræ menti semper obuersabatur, *Sat citò, si sat bene*. Cæterùm tibi epistolam affero, quam tuis ad augustissimum Cæsarem & vniuersos imperij Rom. ordines orationibus subiunxisti: in qua cuidā ex amicorum tuorum numero re tuam ea de re sententiam toti reipubl. literariæ aperire velle dicis, sicut etiam promiseris te facturum. Præuidimus enim, futurum forrasse vt tibi ad manum hæc epistola haud esset: quæ tamen aliquorum te commonefacere posset. KÆNOPH. Quòd hoc præuidistis, ideóque de illa epistola mihi prouidistis, laudo, & gratiam magnam habeo. KÆN. Huic beneficio (vt tu quidem hanc rem in beneficiorū numero ponis) aliud beneficiolum adiungam. COR. Quòd-

nam? Kæn. Eius anagnostes futurus sum: vt vna eadémque opera vnusquisque nostrûm eam & in aures admittat, & méti infigat. Cor. Possem ipse hoc officio fungi. Kæn. Ne hanc meam opellulam récusa; si rem mihi gratam facere libitum est. Cor. Facilè est tibi gratificari, quantum video. Vt autem rem tibi gratam faciam, fac vt libet. Kæn. Lentè legam: non tamen tam in tuam quàm in meam & Misokæni gratiam.

Audieras, & fama fuit. Non addam sed: vera enim fuit fama illa: & si nunc quoque est, vera est.

Mis ok. Nonne hoc à te obtinebimus, Coronelle, vt vtricunq; nostrûm dubitatio de aliquo huius epistolæ loco oriatur, in eo subsistatur, donec ea sublata fuerit? Cor. Coronellus esse desinerem, si hoc denegare inciperem. Mis. Iam igitur fateor hoc de loco dubitare, an satis tuam in eo mentem assequar. Quare illam mihi aperias velim. Cor. Ex abrupto est hoc principium, quo respondens illi N. qui scripserat se audiuisse me nondum quidem in manibus sed in animo

nio saltem habere illum de Latinitate Lipsij tractatum: dico, *Audieras, & fama fuit.* Sunt autem Virgilij hæc verba, ex ecloga nona. Simúlque est loci vnde sumpta sunt imitatio. Apud eum enim præcedit,

Certè equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollique iugum demittere cliuo,
Vsque ad aquam & veteris iam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus vestrũ seruasse Menalcam.

Ad quæ respondetur,

Audieras, & fama fuit: sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.

Perinde est autem ac si diceretur, Audieras: nec miror te audisse, quum hac de re fama fuerit; sed vana certè (seu falsa) fuit. *nam carmina tantum Nostra valent*, &c. At ego, quũ contrà illa de meo illo tractatu fama vera fuerit, dico, Non addam *sed.*

KÆN. Nam aliis subinde atque aliis

(Francfordij præsertim) me non Latinitate Lipsij, sed de Latinitate Lipsij, obtundentibus, quo me alio modo respõdendi onere tam molesto liberare?

Non satis assequor sensum horum verborum, *me non Latinitate Lipsij, sed de Latinitate Lipsij obtundentibus.* Cor. Significare volo, eos, dum me rogabant vt meum de Latinitate Lipsij iudicium sibi depromerem, Latinitate Lipsij interim non vsos esse. Loquor tamen non de omnibus, sed de plerisque, quorum sermo cum Lipsiano minimè comparari poterat. Nonnulli autem erant quorum sermo ad Lipsianum ne accedebat quidem: tantum abest vt cum eo conferri posset. Hoc autem maiorem ad me obtundendum vim habebat. Mrsok. Ego hæc non aliter intelligebam.

Kæn. Hic tamen mihi (id est, huic meo incœpto) non acclamabis, sat scio: quin potius exclamabis, non, O Geta, Geta, sed, O Stephane, Stephane, prouinciã cepisti duram. At nescis quàm dura fuerit altera illa prouincia: si notis, me versuram facere (vt & ipse tui conscij verbis vtar) haud dicas.

Mrsok. Nonne Terentij sunt ista? O Ge-

ta, Geta prouinciam cepisti duram: item ill..? *Versuram facere.* COR Habes primùm Terentij locum in Phormione, deinde genus loquendi metaphoricũ & prouerbiale, ex alio eiusdem (si bene memini) loco sumptum.

KÆN. Neque enim coràm tantùm, sed a multo plumbus per literas illa de Latinitate Lipsij quæstio mihi proponebatur. Ac, si crambe (nunc enim vulgus sequor) repetita, mors est, nónne illa peior repetitione crambes repetitio aliquid morte peius erat?

COR. Anteuerto vestram interrogationem de illis verbis, *si crambe (nunc enim vulgus sequor) repetita, mors est:* ac respondeo, & alĩ apud Iuuenalem inueniri vocẽ quàm *crambe* (videlicet *cambre*) in illo versu, vnde sumptum est prouerbium,

Occidit miseros crambe repetita magistros.

V autem alia lectio, ita & alia expositio est: de qua iam in meis Schediasmatis dixi, ac dicam iterum (deo fauente) in mea editione Adagiorum ab Erasmo collectorum, inter illa quæ meis Animaduersionibus accedent.

KÆN. Quid facerem? aut respondere, aut, nõ respondendo, ignoran-

tiæ vel superbiæ suspicionem (à qua abhorreo, vel potiùs quam horreo) oportebat incidere. Nam quod volui mediam quandam inter responsionem & silentium viam apud quosdam tenere, non successit. Interdum è Lipsiomimis quispiam, vnà cum aduersario (id est, vno è Lipsiomomis) sponsione facta accedebat, & me quæstione illa aggrediebatur, Quid tibi de Latinitate domini Lipsij videtur? Tunc vterque, non quibus auribus sed quo vultu hanc interrogationem exciperem, contemplari. Ego occupationes causari, ob quas cuperem responsum comperendinari. Illi stricto iure mecum agere, & ne horulam quidem tempori præstituto admetiri.

Misok. Quidam hîc locus est vbi è Dauo fieri Oedipus cupio. Mihi enim propemodum ænigmatica sunt illa, *Nam quod volui mediam quandam inter responsionem & silentium viam apud quosdam tenere, non successit.* Nam vel respondetur, vel siletur: & quid esse medium inter hæc duo possit, me non videre fateor. Cor. Facilè à me fiet quod cupis? multo quidem certè facilius quàm è Miso-

kæno

læno Philokænus, aut saltem inter vtrunque medius fieri posses. Illum enim mediam quandam interr esponsionem & silentium viam tenere dico, qui nec nihil, nec tantum quantum quis scire cupit respondet. Siue, qui ita respondet vt nodum haud omnino soluat. KÆN. Nónne, Qui non διαειρμένως, vel, qui non ἀφωρισμένως, siue ἀφοριστικῶς, respõdet, dici posset? COR. Quidni? Vulgus dicit, Qui categoricè non respondet. MIS. En me è Dauo, vel potius è Misokæno, OEdipodem.

KÆN. Ego vero circumspicere numquid quo me seruaret Horatianus ille Apollo, superueniret. Tandem responso meo tam multa præfari, vt vel aliquid superueniens sermonem abrumperet, vel illa parergos præfatio ipsi ergo minimum reliqueret. Veniebant alij idẽ proposituri? alia mihi via effugium quærebam, aut breuiter & propemodum ænigmaticè respondebam. Quosdam alogere illo Virgiliano carmine conabar,

Non nostrum inter vos tantas componere lites.

Sed

Sed de illis dici poterat ex eodem poeta, *nil carmina* (nunc enim generalem huius vocabuli vsum retineo) *curant*.

COR. Nihil aliud in hoc toto esse loco videtur quod meam operam requirat, quam quis sit (si forte ignoratis) ille Horatianus Apollo, cuius operam à me tum requisitam fuisse aio. Sed eum vobis esse notum puto: siminus, satyra Horatij nona, libri prioris, notitiam illius dabit. Sed fallor: iste quoque locus aliquid negotij vobis facesset forsitan. Sed de illis dici poterat ex eodem poeta *nil carmina* (nunc enim generalem huius vocabuli vsum retineo) *curant*. Verùm scio te à me ibi respici ad hunc locum Virgilij, ex Pharmaceutria,

—— *his ego Daphnin*
Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.

KÆN. Ad quendam autem qui duas magnas paginas quæstione illa plenas miserat, responsum remisi grandibus quidem literis & magna in charta scriptum, sed quod tamen breuissimum erat: quum hosce duos versus tantum modo haberet.

Qua tibi me dare vis esse Palamona, N.

Hæc

Hæc eadem dere (mihi crede) Palæmona quæro.

MISOK. Nónne ex Virgilio manauit ille nominis Palæmonis vsus pro arbitro? COR. Haud aliunde manasse existimo: existo nimirum eius versu,

Audiat hæc tantùm vel qui venit, ecce, Palæmon.

KÆN. Non credas denique quantum negotij mihi & Lipsiomimi & Lipsiomomi (vt taceam de illis qui neutri erant) facessérent. Ac nunc omnes ad publicũ illud meũ responsum (in quo nec Lipsiomomus nec Lipsiocolax futurus sum) iam remitto. Sic autẽ multo ante quàm meũ De bene instituendis Græcæ linguæ studijs librum in lucem darem, futuram eius editionem, excusatricem præsentem habebam.

MISOK. Multos noui, ad quorum aures si fama huius tui De bene instituendis Græcę linguę studijs liber peruenisset, actum melius mecum fuisset. COR. Cur? MISOK. Quoniam tuæ sententiæ acquiescentes (& meritò quidem) suis creberrimis super ea re interrogationibus me non obtudissent. Verùm me ad meas quidem aures illa fama peruaserat, alioqui certè & ipse ad eum remissurus & ipse eram.

KÆN. Vt porro ad Lipsium reuertar, si non peregrinantur aures tuæ, sed in peruagato reipubl. literariæ sermone ipsæ quoque versantur, non solùm quosdam Lipsiomomos quoque reperiri sciunt, sed eò ventum esse vt tres seculi nostri Ciceromastiges numerentur, & tertius hoc in numero Lipsius ponatur. Ego ad hanc siue iniuriam siue contumeliam, quæ Lipsio fieret (& quidem literis typographicis consignata esset) siue potiùs ad vtrunque, ita sum stomachatus, vt (quod Lipsius haud sibi persuadeat) vix intra triduum destomachari potuerim.

MISOK. Quinam, obsecro, sunt isti Ciceromastiges? COR. Quærito potiùs quinam sint hi qui Ciceromastigum appellatione à quibusdam infamantur. MIS. Finge meillis ipsis apud te verbis vsum esse. COR. Primus est, Angelus Politianus: secundus, Desiderius Erasmus: tertius quis sit, iam audisti. KÆN. Proh, quantam illorum duorum manibus iniuriam faciunt. Nam quî appellari Ciceromastiges possunt qui tam bene de Latina lingua meriti sunt? perinde est certè ac si ego quempiam, quem de Philo-

sophia

phia bene meritum esse dicerem, Platonomastigem tamen & Aristotelomastigem appellarem. COR. Sed valde falleris si his è tribus vllum ab illis in numero eorum poni existimas qui de Latinitate bene meriti censentur. KÆN. At quo prætextu saltem, quo colore afferunt quod afferunt? Immo, non afferunt, sed asserere conantur, debui dicere. COR. Aliud alij obijciunt: sed ad Lipsiũ quod attinet, hoc ei (si bene memini) obijcitur, quòd Ciceronis stylũ non satis aptum scribendis epistolis dixerit. Præterea laudantur ab ipso epistolæ Politiani, qui primus inter Ciceromastiges collocatur. Atqui, quemadmodum

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus,

ita laudibus quoque illius quem pro Ciceromastige habent, & quidem hoc nomine appellant, Ciceromastix arguitur. His accedit quòd Ciceronianistas (qui vulgo Ciceroniani vocantur) ac nominatim Petrũ Bembum, alicubi insectatur. MIS. Cæteri quoque duo in illam Ciceronianistarũ siue Ciceronianorum religiosam vel potius superstitiosam gentem inuecti sunt (vti nostis) & quidem Erasmus potissimum. Ea denique scripserunt ob quæ Ciceronianomastiges potiùs quàm Ciceromastiges fuisse dicendi videntur. Quid tu ad hæc, Coronelle? COR.

Rationi consentanea loqueris. Sed ne hoc quidem absimile vero videtur, illis primò quidem venisse in mentem Ciceronianomastigas vocare, postea autem, vt breuiore & minus duro vocabulo, simúlq; magis odioso, vterentur, Ciceromastigas appellasse. Sed plura de hac tanta quæ tantis fit viris iniuria, alius erit dicendi locus.

Kæn. Quid quòd mihi etiam timere ab eadem siue iniuria, siue contumelia, siue ab vtroq;, cœpi? At nullius tamen in Ciceronem odij, ac ne maleuolentiæ quidem tibi es conscius? dices. Dicam: sed quid si ex illis duobus meis dialogis, Pseudocicerone & Nizoliodidascalo, velint aliquam huiusmodi phantasiam concipere?

Mrs. Quum hosce duos dialogos legerim, atque adeo perlegerim, quorum vnus, Pseudocicero, alter, Nizoliodidascalus nominatur: de illis testari possum, magnam tibi factum iri iniuriam si propter hos Ciceromastix apud illos audias. Tantum enim abest vt ex Cicerone in illis male mereari, vt potiùs honori eius (ac præsertim in Pseudocicerone) cõsulas: ac Ciceronianos de multis admoneas, in quibus contrà honori Ciceronis

ceronis malè consulunt. Ac (si bene memini) inter alia quæ affers exempla (nisi fortè hoc alibi à te proponitur) est vocabulum Multissimi: quod quum errore librariorum irrepsisse in Ciceronis scripta Bembus & quidam alij Ciceroniani non animaduertissent, aliquot suorum scriptorum locis, tanquam gemmam quampiam, inseruerunt. COR. Magna quidem (vt ais) mihi fieret iniuria: sed quam alijs faciunt iniuriam, mihi quoque facere, quid vetet?

KÆN. Vlterius in lectione non pergam, quum in ijs quæ sequuntur, alijs de rebus agatur. Tuum nunc erit, præstare quod & hîc publicè promittis, & nos ex promisso quod priuatim à te impetrauimus, petere à te non dubitamus. Est certè hæc res meum illud maius desiderium, quod innuebam circa colloquij nostri initium quum dicerem te minori meo desiderio satisfecisse, in accommodandis Salustij verbis ad versuum Homericorum (nisi potius dicendum est, alterius eorum) vndecimam interpretationem: quam à te

velut ἐπίμετρον popoſceram. Additurus enim eram, (ſiue te occaſionem interrogatione tua præbente, ſiue etiam de maiore, quódnam illud eſſet non ſciſcitante) me ſperare futurum vt aliquando maiori etiam deſiderio ſatisfaceres: ſed factum eſt neſcio quomodo vt tu antecaperes, & de tuo maiore deſiderio longè in alium ſenſum loquereris quàm ego de meo loqui volebã. Cor. Eram ſanè te interrogaturus ea de re (nam memini) ſi indignatio linguæ meæ illam interrogationem non eripuiſſet. Mis. Ego plus de meo deſiderio, quàm Miſokænus, dicam. Non enim maius, ſed maximum appellabo. Kæn. Ego meum maximo maius vocabo. Mis. At meum permittam mihi nominare ὑπερμέγεθον. Cor. Quanto maiore vos huius rei cupiditate teneri cognoſco, tanto maius eſt meum ſatisfaciendi deſiderio veſtro deſiderium: id eſt, præſtandi quod promiſi. Immo de eo non iam præſtito me accuſo: ſimul tamen de nunc præſtando me excuſo. Mis.

Iſtud

Istud pace tua liceat mihi dicere, quæso:
Si non es hodie, cras minus aptus eris.

COR. Haud sanè in crastinum diem reijcio. non enim magis esse liber mihi potest quàm hodiernus. KÆN. Quod igitur Cras eligere & nobis præfigere vis? Quodcunque certè præfixeris, ego Misokæmo nõ occinens sed succinens, te interrogabo,

Cras tibi quando illud, quando venire potest?

Vel potius,

Cras tibi quando illud, quando venire volet?

Testudineo aut formicino (sat scio) gressu veniret, si quidem vnquam veniret. COR. De procrastinatione aut comperendinatione tantùm à me non agi fateor: sed longiorem dilationem peti. KÆN. Quod spatium temporis à nostrę patiẽtię liberalitate petis? COR. Si scirẽ liberalitatis vestræ mensuram, petitionem meam ad illam accommodarem. Sed regulam prouerbialem sequar, Iniquum petendũ est, vt æquum feras. MISOK. Non patiar te repulsam

pati. Cor. Magnam tibi habeo gratiam. Mrs. Gratiam mihi non habeas, si me intelligas. Nam ideo dico me non passurum te repulsam pati, quòd petitionem tuam præuenire velim. Cor. Ambiguo igitur sermone mihi illudis: vel potius illusisti. Mrs. Nimium ad agendas gratias promptus fuisti: nec finem sermonis mei exspectasti: qui ambiguitate alioqui caruisset. Cor. Sed cur petitionem meam vis præuenire? Mrs. Quia scio (saltem conijcio, ex ijs quæ dixisti) talem fore vt tibi à nobis concedi non possit. Illud enim non ignoras,

Turpius eijcitur quàm non admittitur hospes.

Non admitteris autẽ in hospitium (vt ita dicam) si te eam rem petere nõ permiserimus: at propè eijcieris ex hospitio, si petere permiserimus, sed repulsam pati voluerimus. Cor. Ad illam tamen petitionem veniã: & animum, si non tuum (quem obfirmatum esse præ te ferã) at Kænophili, tentabo. Nam, *quid tentare nocebit?* Nisi fortè mihi

mihi ad illam venienti obstruere os deliberasti. MIS. Non tibi os, sed nobis aures obstrueremus. COR. Tu semper in Kænophili etiam persona loqueris: tanquam ab illo mandatum habens. KÆN. Quid mandatario est opus ei qui adest? non mandatarius sed succenturiator mihi est Misokænus: ac ego illi vicissim. Vt autem paucis tecum agamus, hoc tibi persuade, vtriq; nostrum fixum in animo immotúmque manere, haud te à nostris manibus liberare, priusquam tuam tu nobis fidem liberaueris. COR. Quid? an etiam nexu erga me vti, an etiam conijcere in neruũ vultis? KÆN. Nequaquam: sed illum Horatij assectatorẽ imitabimur. COR. Tandem Horatium ab eo seruauit Apollo. KÆN. Nos Apollini iter, ne te seruaturus veniat, intercludemus.

MIS. Interim dum expedit Coronellus id propter quod auocatur negotium, illius Horatiani assectatoris memoriam mihi velim renoues: vt ego pariter in illo imitando strenuè partes meas agam. KÆN. Qui hanc de illo im-

pudente Horatij affectatore historiam nouerit, simul & quis sit ille Horatianus Apollo, cuius modo facta fuit à Coronello mentio (& facta iã antea fuerat in epistolæ eius lectione) nouerit: vt ex iis quæ dicã patebit. Veniat igitur tibi in mentẽ illa satyra cuius principiũ est,

Ibam fortè via sacra (sicut meus est mos)
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis:
Occurrit quidam, notus mihi nomine tantùm.

Nam, duobus versibus interiectis, ab Horatio additur,

Quum assectaretur, num quid vis? occupo: at ille,
Noris nos, inquit: docti sumus. Hîc ego, Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Misèrè discedere quærens,
Ire modò ocius, interdum consistere: in aurem
Dicere nescio quid puero.

Et paulo post.

— vt illi Nil respondèbam, misèrè cupis, (inquit,) abire,

Iam

Iamdudum video: sed nil agis, vsque tenebo.
Persequar hinc. quò nunc iter est tibi? Nil opus est te
Circumagi. quendam volo visere nõ tibi notum,
Trans Tyberim: longè cubat is, prope Cæsaris hortos.
Nil habeo quod agam, & non sum piger: vsque sequar te.
Demitto auriculas, vt iniquæ mentis asellus,
Quum grauius dorso subijt onus.

MISOK. Etiamsi vltra hunc asellum non progrederemur, per hunc satis metus incutere Coronello possemus. Potius enim vel per medium ignem transeat quàm, nobis illum ita & passibus & sermone persequentibus vt affectator ille Horatium, cogatur itidem demittere auriculas vt iniquæ mentis asellus. Sed obiter tibi meam de vno versu eorum quos recitasti sententiam indicabo. Quum in tua recitatione ita pronuntiaris quendam versum, non procul ab initio,

Persequar hinc: quò nunc iter est tibi? vt illa, *quò nunc est iter*, sint interrogantis, ego contrà crediderim potiùs hæc per interrogationem non esse efferenda, sed cum duobus proximè præcedẽtibus verbis continuanda: hoc modo.

Persequar hinc quò nunc iter est tibi.

Vt intelligamus, Persequar te hinc ad eum vsque quò tendis locum. Quin etiam in versu qui hunc, vno interiecto, sequitur, post hæc verba *Trans Tyberim* minimè interpungendum crediderim. Nec dubito quin Coronellus meæ sententiæ vtrobique sit accessurus: sed nunc minimè est interrogandus. KÆN. Ego quidem certè ad tuam sententiam accesserim, vel eo procul ab ea recedente. Sed quandoquidem te attentum illorum versuum auditorem fuisse video, rogo vt longius in ijs progrediamur: & saltem paulum vltra illũ asinum pergamus. Inter illos enim quos vulgus (nostras præsertim) importunos appellat, (voce, vt opinor, Latinogallica aut Gallicolatina, potius quàm Latina) nullum vnquam vidisti magis

magis ad miraculum vsque importunum. Nec verò Theophrastus in suis characteribus (aut quicunque est illorum autor) magis expressam huius generis hominum descriptionem afferre potuisset. Nónne igitur patientem aliquot sequẽtibus versibus aurem commodabis? MISOC. Quidni ijs aurem commodem quæ non sine commodo aliquo & aliqua delectatione sum auditurus? KÆN. Pergam itaque: (relictis tamen in medio duodecim, aut circiter, versibus,)

Ventum erat ad Vestæ, quarta iam parte diei
Præterita: & casu, tunc respondere vadato
Debebat: quod ni fecisset, perdere litem.
Si me amas (inquit) paulum hic ades. Interea si
Aut valeo stare, aut noui ciuilia iura.
Et propero quò scis. Dubius sum quid faciam, (inquit:)
Tene relinquam, an rem. Me, sodes. Non faciam, ille:
Et præcedere cœpit. ego, vt contendere durum est,

Cum victore sequor.

Statim autem Horatium interrogare incipit quomodo se res eius habeant apud Mæcenatem: siue, quem locum apud eum teneat. Sed fortasse, si vlterius pergerem, nihil magis loci & temporis ratione habere dici possem quàm hic ipse de quo scriptos ab Horatio versus recitaui. MISOK. Immo nondum potes ex isto Horatij loco discedere. KÆN. Quid ibi me diutius detinebit? MIS. Tuum promissum. Dixisti enim fore vt qui hanc de illo impudenter Horatium affectante historiam nosset, simul etiam quis sit ille Horatianus Apollo, sciret: atque id tuis è verbis planum futurum. KÆN. Rectè facis quòd me officij mei admones. Qui enim quempiam vt stet suo promisso commonefacit, illum officij & debiti etiam sui admonet. Veniam igitur ad finem epistolæ, ijs quæ interiecta sunt omissis.

——casu venit obuius illi
Aduersarius: &, Quò tu turpissime? magna
Exclamat voce. &, Licet attestari? Ego
verò

Oppono

Oppono auriculam. Rapit in ius: clamor vtrinque:
Vndique concursus. Sic me seruauit Apollo.

Iam habes insignem illum Horatij locum, vnde petita hæc de Apolline verba prouerbialem vsum acceperunt. Atque hæc vsus prouerbialis mentio facit vt alius prouerbij recorder: cuius etiam causa ingenium huius hominis considerare operæpretium est. Animaduertendum est enim, hunc, quum respondere vadato deberet, aut litem perdere: maluisse litis iacturam facere, quàm illi suo tam miro ingenio non indulgere. Scis autem de re quapiam prouerbialiter dici (sed nonnisi de re maximi momenti) dignam esse ob quam vel vadimonium deseratur. MISOK. Gaudeo à te additum esse hunc locum: qui etiã fecit vt tandem illius satyræ recordarer. Verùm & hîc est aliquid in quo à te dissentio. non enim scribo tecum,

——ego, vt contendere durum est,
Cum victore sequor.

sed illa verba, *cum victore*, volo conti-

nuari cum illis verbis, *vt contendere durum est*: nimirum vt ita locus hic interpungatur,

—*ego, vt contendere durum est*
Cum victore, sequor.

KÆN. Immo à me non dissentis. iam enim in tuam sententiam transij. MIS. Reuertitur ad nos Coronellus: cogitandum quo apud eum sermone vsuri simus, vt nos magis ac magis obfirmatos esse velie, magis ac magis sibi persuadeat. KÆN. Ex ipsius ad nos sermone consilium capiemus. COR. Nihílne vobis de illa erga me seueritate (ne quid grauius dicam) decessit, ex quo à vobis abscessi? MIS. Immo aliquid ad illam accessit. COR. Memini, in illa ipsa Horatij comica satyra, aut comœdia satyrica (si tamē vel hunc vel illum titulum ei licet dare) cuius præcipuam personam sustinere vos velle dixistis, inter cætera & hoc dici ab Horatio,

—*ego, vt contendere durum est*
Cum victore, sequor:

quum autem considerem multo esse durius cum duobus victoribus, quàm cum

cum vno, cõtendere, quid aliud quàm vobis dare manus, quàm vobis herbam porrigere possum? Promitto igitur, quod à me præstari vultis, præstiturum, ἀνδήμερον quidem, sed non ἀνδρεί. Quid alter alterum, tãquam dubitabundus, aspicit? KÆN. Immo, quid si alter in alterũ oculos exultabundi potius quàm dubitabundi, aut hæsitabundi, conijcimus? Obtinemus enim (vt & pro Misokæno respondeam) quo nobis à te satisfieri dicturi meritò sumus. Superest tantùm vt indicare nobis horam velis, qua nos adesse oporteat. CORON. Ante prandium, propter negotia quæ me ipsi etiã prandio præuertere oportet, vix operam vobis dare potero: (atque adeo vos ad ipsum inuitarem, nisi ne & ipsum negotijs interturbetur timerem) statim autem à prandio si vobis adesse libeat, faciam (si mea me spes non fallet) vt vos vestræ tam longæ exspectationis non pœniteat. faciã enim, deo fauente, vt desiderio vestro magna saltem ex parte satisfaciam. KÆNOPH. Etiam si negotia tua non poscerent vt in

illas horas dissertatio tua differretur, at versum Græcum haberes id suadentē.
Mis. Quis ille est? Kæn.

Ταρὸς ἀπὸ πλείης βυλὴν χαὶ μῆτις ἀμείνων.

Mis ok. Risum (quantum video) clausulæ sermonis huius vis interuenire.
Kæn. Ad me quod attinet, vix eum absque risu recitare possum: nec verò dubito quin à quopiam iocari & ridere volēte scriptus fuerit. At tuum, Coronelle, quódnam est illo de versu iudicium? Cor. Amplius cogitandum censeo: res magna est. Libet enim aduocati Terentiani sermonem imitari. Si tamen & extempore aliquid de illo pronunciandū est, vel γαρίμαρχον quempiam, vel aliquem, nō secus ac γαρίμαρχον (siue in persona γαριμάρχου) ita περὶ τῆς γαρὸς loquutum esse, & quidem iocari potiùs quam seriò loqui volentē (præsertim si nō γαριμάρχου, sed personam γαριμάρχου gerentis verba sint) credidetim. Kæn. Fit mihi istud verisimile.

Cor. Gaudeo, de tempore sermonis qui inter nos habēdus est, inter nos conuenisse, antequam auocarer. Ecce enim,

enim, (vt videtis) iterum à vobis auocor. KÆN. Immo nos te nequaquam auocamus. COR. Ludendi materiam tibi præbet amphibolia: verùm respondeo, Non per vos & tamen à vobis auocor. MIS. Paucis hunc ludibundum hominem ἐπισόμισας. Ex me autem aliud, quod ad rem attinet, audito. COR. Quid illud est? MIS. Tibi mirum esse non debere si hinc tecum non egrediamur. Quemadmodum enim Catonis dictum tuit,

An tu ideo tantùm veneras vt exires?

ita quis quærere è nobis posset, An hinc egredimini vt statim regrediamini? COR. Per me vobis vel mecum exire, vel hîc remanere licet. Quæ tamen est manendi causa? MIS. Est quod ex te intelligere cupiamus, antequam domum reuertamur. COR. Aliquid morę, aut saltem morulę, interponere possum, ad illud audiendum, quidquid est. MIS & KR. At nos te remorari nolumus: præsertim quum non tam breuē quàm putas moram sermo, quo te desiderio nostro satisfacere cupimus, requirat.

COR. Cum vestra igitur venia sermo ille, quicunque sit, aliquantisper differetur. MIS. Cum nostra certè venia fiet quod facere absque illa *& fas & iura sinebant*. CORON. Vrgebo reditum meum quantum potero. Vel (cautiùs vt loquar coram akanthologo isto Kænophilo) auocatores de reditu meo vrgebo.

MISOK. Peropportunè hoc cecidit quòd nunc quoq; fuerit auocatus Coronellus. Interim enim aliquod προγυμάσιον tibi communicare mihi dabitur. KÆN. Aliquod προγυμάσιον, an aliquam προγυμαλείαν, dixisti? MIS. Te surdastrũ esse factum (quod valde doleo) me non præmonuisti. KÆN. Quasi verò non alius quàm surdastri hæc esse possit interrogatio. MIS. Aut surdastri aut surdastrum simulantis esse dico. KÆNOPH. Immo tertium quiddam addendum esse aio. Quid enim si quis παραλόγιστος? MIS. Tertium hoc in mentẽ mihi non veniebat. Sed incertum tamen est hoc tertium. KÆN. Cur incertum esse dicis? MIS. Quoniam qui surdastrum simulauerit,

lauerit, dicere poteſt ſe παραλοῖσαι. Ar ego ſcio te nec παραλούειν, nec πυροῦν ſolere. KÆN. Euenire ſemel mihi quoque aliquod naturę ἔλλειμμα poteſt, quod antea nunquam euenerit. MIS. Et hoc & quidquid aliud ſuper hac re dices, tibi concedam: atque ita redire ad rem cogam. KÆN. Immo verò ad reculam: ſi quidem dixiſti πραγμάτιον. Quódnam igitur illud eſt? certe ſiquid magni eſt, non πραγμάτιον ſed πρᾶγμα dicendum erat. MIS. Nónne huiuſmodi hypocoriſtica etiam extenuanti aliquid per modeſtiam, conueniunt? KÆN. Tandem igitur in medium prodeat illud πραγμάτιον quod tamen πρᾶγμα eſt. MIS. Si tu quodlibet dictum meum ioco & riſu excipere pergis, in ſermone inſtituto (ſi tamen iam inſtitutus dici poteſt) non pergam, atque interim nos impares Coronelli reditus opprimet. KÆN.

Eſto procul Riſus, Riſus procul ô loce frater.

MISOK. Ita valedicis riſui vt me interim ad riſum, nihil minus quam ridere volentem, compellas. KÆN. Quando-

quidem voti sum tandē compos (meo enim risu tuum captabam) risum tanto libentiùs compescam.

Nunc loquar, amoto, loquar omnia seria, risu.

MIS. EVge. KÆN. Cur & quò vis fugiam? MIS. Egóne te fugere volo? KÆN. Si non vis, cur Fuge dicis? MIS. Immo EVge illi tuo versui acclamo. KÆN. Ignosce: iterum mihi contigit παραϰούειν. Sed adeo meis adlibescit auribus illud verbum EVge, planè contrarium ei quod audiuerant (aut saltem audisse sibi videbantur: si τὸ παραϰούειν ita distinguendū est ἀπὸ τοῦ ἀϰούειν) vt me velint alio versu eandem acclamationem iterum impetrare. Audi igitur:

Seria dicenti volo seria reddere dicta.

MIS. EVge. KÆN. Perge. MIS. Si vno EVge contentus non es, quot tibi opus est vt contentus esse possis? KÆN. Quemadmodum mihi semel atque iterum contigit παραϰούειν; ecce, nunc tibi contingit παρανοεῖν. MISOK. Non mihi παρανοεῖν (absit, absit) sed tibi, ad ingenium redeunti, παραλαλεῖν contingit

tingit. KÆNOPH. Ad iocatorium nimirum ingenium redire me velle suspicaris. MIS. Quomodo id de te suspicer quod mihi compertum est? KÆN. Quid dixi vnde tibi compertum esse possit me ad iocatorium ingeniũ velle regredi? MIS. Serióne (quæso) hoc dixisti, me παραγνοεῖν? KÆN. Quidni dixerim? & quidni dicere potuerim? Video te mentem meam non assequi: idcóque mirari desino quod valde mirabar, te, quum παραγνοεῖν à me dictus esses, ita respondisse, *Non mihi παραγνοεῖν (absit, absit) sed tibi ad ingenium redeunti παραλαλεῖν contingit.* Et verò ex illa voce Absit geminata, te abesse procul à mẽte mea, quum eam te assequutum putares, suspicatus sum. MIS. Vt, remotis ambagibus, ad rem veniamus, tu voce παραγνοεῖν non tam vsus es quàm abusus, quum dixisti, *Quemadmodum mihi semel atque iterum contigit παραχοῦν, ecce, nunc tibi contingit παραγνοεῖν.* Significare enim voluisti verbo παραγνοεῖν, non, me desipere, seu extra mentẽ esse (scio enim, haud ita iniuriosam in me tuam lin-

guam esse velle) sed aliud intelligere quàm quod voce Perge significare voluissem. siue, vocẽ Perge in alium sensum accipere quàm quo essem ea vsus: at ego contendo, hoc non esse χρῆσθαι verbo παρανοεῖν, sed omnino παραχρῆσθαι: minimèque hanc παράχρησιν ex earũ esse genere quę sunt cõcessę. Dico enim, præpositionem illam, in verbo παρανοεῖν non habere eum quoque vsum quem habet in παρέρχῃ, in παρακούω, & in eo quoque verbo quòd ex me audisti, παραλαλεῖν: cui simile est παραφθέγγεσθαι. KÆN. Ego vel pignore contendere ausim, te falli, & id quoque sonare illam præpositionem in παρανοεῖν, quod in παρέρχῃ & in παρακούω sonat. Cuius autem arbitrio stare volumus? MIS. Si adesset Coronellus, dicerem sumendum esse arbitrum. KÆN. Quandoquidẽ abest, penes eius Thesaurum Græcæ linguæ sit arbitrium. Hunc autem arbitrum hæc illius bibliotheca nobis continuò sistet. MIS. Accipio conditionem. KÆN. Hoc in tabulato quærendum esse illum nostrum arbitrum puto. MIS. Credi-

Crediderim potiùs in eo quod illi proximum est quæri debere. KÆN. En tibi illum. En verò & quod dicebam. MIS. Experior quod & aliâs sæpe sum expertus, periculosum esse fidere memoriæ. KÆN. Non dubiũ est quin plurimi sint experti: sed pauciſſimi tamen sunt qui ei non fidant. Verùm, ne dicas me victoria mea factum ὑπέρθιον, siue superbum (nam Latinos suam vocem superbus è Græco ὑπέρθιος sumpsisse, persuasum habeo) iam tibi aurem præbere nolle, contrà illam tibi ad excipiendũ quod mihi communicare volebas, parere dico. MIS. Valde mihi gratificaberis: præsertímque si attentã quoque præbueris. KÆN. Hoc quoque faciam. MIS. Dum abest Coronellus, eam tibi rem communicandam censebam de qua eũ interrogare volo (& de qua iam fortasse fuit à te statim post suum reditum interrogatus) & tuum super illa interrogatione iudicium audire. KÆN. Quidnã illud est de quo vis eum interrogare? Ac mirabar certè cur illi abiturienti dixisses, esse quod ex eo intel-

ligere cuperemus, antequã domũ reuerteremur. Quídnam igitur illud est? inquam, Mis. Ex eo scisscirari volo quomodo in nupero conuentu Ratisbonensi ordinum Romani imperij res eius se habuerint. Præterquam enim quòd intelligere hoc cupio, etiam satisfacere multorum desiderio velim qui hoc ex me percontantur, tanquã amicus amicũ haud celauerit. Kæn. Quidni hoc ex eo audaciter scisciteris? & quidni libenter ille respondeat? Mis. Immo nec scisciteri auderem, nec libenter ille responderet, si fortè malè res eius se habuissent. Kæn. Laudo quòd hanc cautionem & tuo & aliorum desiderio adhibes: sed de hoc securus esto: scio non se malè res eius habuisse. Aliquid enim iã ex eo, sed obiter tantùm intellexi. Atq; (vt nihil dissimulem) tu quidẽ valde id te desiderare & dicis & ostendis, sed ego te valdius desidero. Mis. Hanc percontationẽ ad finem colloquij nostri de Latinitate Lipsij (vt vulgus Latinum Lipsij stylum appellat) reseruare statueram: sed cogitaui

tauí postea, satius fore in illud tempus non reijcere, sed hoc ipsum iam nunc ex eo intelligere: vt ex eo quod nobis ad illud colloquium concessit atq; assignauit tempore ne particulam quidem vllam recideremus, sed eo integro frueremur. Quum autem occasionem huius meæ deliberationis tibi clã illo insusurrandæ quærerẽ, sed frustra, occasionem non insusurrandæ tantùm sed alta etiam voce proferendæ altera hæc à nobis digressio præbuit. KÆN. Quòd huius narrationis tempus antecapiendum censueris, in eo tuam siue prouidentiam, siue prouidam curam, laudo. Ea autem audiendi & cupidus eram, & nunc quoque (quemadmodum antea dixi) cupidus sum. MISOK. Nónne vis igitur tuis pariter meísque verbis hoc ab eo contendam? KÆN. Volo. MIS. Bellè autem se res habet quòd iam ad nos reuertitur. KÆNOPH. Non bellè tantùm sed bellissimè se res habet.

MISOK. EXPONAM tibi, Coronelle, quid illud sit quod huius tui no-

biſcum colloquij velut auctarium eſſe, ac minimè in pomeridianum differri cupimus. COR. Veſtro deſiderio, quoad in me erit, ſatisfaciam. MISOK. Succeſſeritne tibi profectio tua ad auguſtiſſimi Cęſaris & vniuerſorum S. R. imperij ordinum conuentum, ex teipſo audire optamus. COR. Vtinam ita ſuum illis aduerſus Turcas bellũ (quod appellare Antiturcicum ſoleo) ſucceſſiſſet. MISOK. Si non alius fuiſſet tuus quàm Chriſtianæ militiæ ſucceſſus, ἐμεταμέλητος certè illa tua profectio eſſe non poſſet. COR. Contrà autem, quàm longè ἀπὸ τῆς μεταμελείας abſit, hoc, & alia quædam ex ea quam poſtea ad eundem auguſtiſſ. Cæſarem pariter & vniuerſos S. R. imperij ordines ſcripſi epiſtola cognoſcetis. KÆN. Sed vbi eſt illa epiſtola? COR. Eam ad vos ſtatim afferam. KÆN. Iámne, Miſokæne, aliquis de illa rumor tuas ad aures appulerat? MISOK. Non magis quàm ad tuas. COR. Ecce illam. KÆN. Nunc quoque fungar anagnoſtæ officio: & quidem non alia quàm antea mercede. MIS. Immo te

te antea functum esse sit satis: nunc mihi debetur is honor. KÆN. Quomodo tibi deberi potest honor ille, quum sit meus. MIS. Si te in possessionem iniecisti, (audebo etiã dicere, si in possessionem irrunsti) deóne tuus esse dicendus est? KÆN. Contrà, me bonæ fidei possessorem esse contendens, de retinenda illa tecum apud nostrum Coronellum contendere sum paratus. Tu quo iure fungi te illo debere officio dicis? MIS. Iure vicissitudinis. KÆN. Magis mihi Kænophilo ista iuris nouitas conueniret quàm tibi Misokæno. Sed nónne vis nos arbitrio Coronelli stare? MIS. Quidni velim? KÆN. Quid ais Coronelle? COR.

Non nostrum inter vos tantam componere litem,
Quam de lana aliquis dicat iure esse caprina.

Verùm vt sorti vestram controuersiam dirimẽdam detis, autor sum. KÆN Mihi Coronelli consilium placet: annon & tibi? MIS. Et mihi. KÆNOPH. Illi igitur pareamus. MIS. Vides vt sors mihi

illud officium adiudicet. Kæn. Video, & tibi inuideo. Mis. Æquum est vt merces quam obtinuit Kænophilus, mihi nõ denegetur. Cor. Quæ sit illa merces haud recordor. Misok. Vt, siue mihi, siue Kænophilo, aliqua de quopiam loco suborta fuerit dubitatio, in eo lectio intermittatur, donec nobis solutus à te nodus fuerit. Cor. Quod mercedis loco petis, meo te beneficio relinquere maluissem. Mis. Vtriusque loco habendum erit. Iam arrige aures Pamphile. Quid tamẽ mihi cum Pamphilo? Kæn. Pamphilus hîc nullus est: sed præcedentia illa duo Terentij verba vt tertium quoque esset Terentianum à lingua mea impetrarunt. Hinc ab ea illud Pamphile habuistis, quum Kænophile in mente esset. Repetam igitur, Arrige aures Kænophile.

AVGV-

AVGVSTISSIMO CÆSARI,
RODOLPHO II,
atque vniuersis Romani Imperij ordinibus,

HENRICVS STEPHANVS.

QVVM meas de bello Antiturcico orationes, à me in conuentu Ratisbonensi vobis nuper oblatas, vestra lectione dignatos esse, atque illarum conatibus applausisse cognouerim: sed quoddam allatum nuper de illo bello nuntium spem à me datam videri possit interturbare: scrupulũ quoque istum conari ex omniũ mentibus eximere, officij esse mei existimaui.

MIS. Cur magis tibi placuit, *de bello Antiturcico*, quàm *de bello aduersus Turcas*, dicere? an significantius est illud quàm hoc? COR. Si mihi res cum Misokæno tantùm foret, ac non etiam cum Kænophilo, de responso laborarem: sed quum placere huic sciam quod tibi displicet, omnino securus sum: atque adeo te postea responsum ab illo (licet vicarium id futurum sit) quàm à me malo accipere.

MIS.

Mis o k. Nimiúmne curiosus videbor, si, quódnam fuerit illud nuntium interrogauero? vbi scribis, *sed quoddam allatum nuper illo de bello nuntium spem à me datam videri possit interturbare.* Co r. Haud periculum tibi est ne nimis curiosus videaris, sed mihi, ne nimis obliuiosus. Sed quæcunq; fuit illa clades de qua fuisse allatum nuntium scribo, non longo sequúra est interuallo eam (minorem tamen) qua multos è nostris ad Iaurinum à Turcis obsessum, facta in hostium castra impréssione, contigit submergi. Mis o k. De hac clade, quæ eam mortem attulit nonnullis militibus quam Homerus omnium miserrimam iudicat (si tamen quod de mari dicit, latius licet extendere) nihil audieram. Kæn. At ipse audieram. Mis o k. Aliquíne etiam nominis alicuius duces submersi fuerunt? Co r. Ita. Mis. Quinam? Co r. Vnius tantùm ita recordor vt eum nominare tibi possim. Hoc autem ideo possum, quòd Ratisbonæ, aliquanto post habitum conuentum, eius epitaphiũ scripsi, rogatus ab ipsius fratre. Vocabatur autẽ ille, Ioannes Gerzhoffer: erátq; mille & ducentorum peditum ductor. Epitaphiũ eius à me scriptũ, est hoc:

Hic, flore ætatis, florem sua reddidit arma
Armorum, in Turcas fortiter agmen agens:
Sed tandem magnis in eos postquam excidit ausis,
(Ausa batul in bello cuncta beante deo)

Dum

Dum iam conferti ruit impetus hostis in ipsum,
Occubat, intra vndas arma tenente manu.

Credo, vobis obscurum nõ esse principium, vbi dico, *florem suæ reddidit arma armorum*: intelligens, illum sua arma reddidisse florem armorum: id est, sicut ætate florebat, sic etiam virtute bellica floruisse. erat enim adhuc iuuenis. KÆN. Vix puto futurum cui tua mens obscura sit. COR. Non fuit autẽ à me adiectũ istud, *intra vndas arma tenente manu*: (vt tamẽ aliquis fortasse suspicaretur) sed ex relata fide dignorum hominum habui. Cæterùm & ab alio scriptum eidem fuit epitaphiũ, quo res latius exponitur. Illud addo:

Iam ter magnanimus iuuenis cum milite forti
Barbaricos proprio de vallo ejecerat hostes:
Horum sed postquã numerus multo agmine semper
Crescceret, & tantas non posset ferre cateruas:
Flexit iter retro, pugnans ad fluminis vsque
Danubij ripam: in quem tandem pectore magno
Insiluit, potius fieret quàm viua tyrannis
Præda. caput supra fluctus voluuntur: & (eheu)
Infelix animam exhalat sub gurgite pressam.
Mars pater ob casum tanti vehementer alumni
Indoluit: nymphæ miserantes corpus eodem
Detinuere loco: ne fraudaretur honore,
Longius auectum, non inuentúmque, sepulcris.
Dic cineri bona verba, & tandem discе viator,
Vita hominis tenui quàm filo nexa vacillet.

KÆNOPH. Coactus fuit vterque vestrum mentionem fugæ facere: ac excusare etiam vterque conatus est, quantum video. Immo verò tu, quamuis itidem excuses fugam, vbi dicis,

Dum iam confertì ruit impetus hostis in ipsum,

vix tamen in vllo tuorum versuum illius mentio potest animaduerti: at ille apertè, *Fit exit iter retro.* COR. Fuga hæc à multis certè fuit excusata: sed fuerunt etiam apud quos excusatione caruit. MISOK. Etiamsi ab alijs nullis excusaretur, tamen ab vnoquoque scribente epitaphium fieri hoc par est. Alioqui epitaphijs dedecoraretur potius quàm decoraretur. KÆNOPH. Nonnulla sunt quæ nonnullis fortasse parum placebunt in hoc epitaphio: meam ego de illis sententiam in aliud tempus reseruans, hoc tantùm dico, traiectionem qua veteris initio tui carminis mollem videri posse præ illa qua hic vtitur, vbi scribit,

——*ne fraudaretur honore,*

Longiùs auectum, non inuentúmque sepulcri.

Verùm, si verba ista, *longius auectum, non inuentúmque*, notis parenthesis includerentur, minùs dura traiectio illa videri posset. MISOK. Nónne illam vitare traiectionem poterat? COR. Immo cui hoc dubium esse potest? KÆN. Difficile tamen fuisse mihi videtur. COR. Quæ sunt χαλεπὰ, non sunt ἀδύνατα.

KÆN.

KÆN. Sed quæ nonnullis sunt χαλεπὰ tantùmodo, alijs sunt ἀδύνατα. COR. Mihi quidē certè, vt opinor, nō fuisset ἀδύνατον hanc effugere. KÆN. Fac periculum, quæso. COR. Non libenter periclitor. MISOK. Suspecto & quodammodo odioso genere loquendi vteris, cui inclusum est periculum: ego eum vt experiatur rogabo. Experire, obsecro, Coronelle. COR. Experiar. nam quid tentare nocebit? MISOK. Disce Kænophile vti verbis quæ non absterreant. KÆN. Ioculariter tantùm fuit absterritus: immo ne ioculariter quidem fuit absterritus. COR. Sentio plus difficultatis inesse huic rei quàm putaram. Sed hanc, quantacunque est, superabo, si plus libertatis mihi sumam circa mutationem huius loci quàm sumere statueram. MISOK. Quidni sumas? COR. Repetam igitur totū illum eius locum, deinde quid præstare possim ostendam.

Mars pater ob casum tanti vehementer alumni
Indoluit: nymphæ miserantes corpus eodem
Detinuere loco: ne fraudaretur honore,
Longius auectum, non inuentúmq;, sepulcri.

MIS. Nunc fac audiamus quomodo eundem sensum exprimens, illam traiectionem vitasses. COR. Valde es mea audiendi impatiens: nónne dixeram me deinde quid præstare possem ostensurum?

Mars pater hunc casum tanti vehemēter alumni

Ingemit: & nymphas eius miseratio tangit:
Membra ergo hic retinent, vndis ludibria ne sint;
Longius auecta, & tumuli fraudentur honore.

MISOK. Illis quibus apud te vsus sum precibus gratulor, quòd tam felices fuerint, vt felicissimum à te conatũ impetrauerint KÆN. Taces de meis precibus, quasi non aliquod & ipsæ pondus habuerint. MISOK. Quemadmodum ego meis gratulor precibus, ita quin tu gratuleris tuis per me haud stabit. COR. Faciet idem vtriusque de hisce meis versibus iudicium vt & ipse meo conatui gratuler. Illa tantùm verba omisi, *non inuentúmque.* KÆN. Omittere non solùm poteras, sed etiam debebas, tanquam superuacanea: quùm ex adiunctis id intelligatur. Præsertim verò quum à te dicatur,

—— vndis ludibria ne sint,
Longius auecta, & tumuli fraudentur honore.

Nam quæ longius auecta, fiunt tandem vndis ludibria, quis amissa esse non intelligit? Adde quòd sequitur,

—— & tumuli fraudentur honore:

MIS. Mihi quoque valde placent illa, — *vndis ludibria ne sint.* O quàm sibi gratuletur is etiam qui huius epitaphij est autor de hac tantum ornamenti afferente emendatione. MIS. Sed quódnam est illi nomen? Haud nouitius in Latina poesi esse videtur, quisquis est. Eius nomen est mihi ignotum: (nec

ei à quo Norimbergæ habui, quum Ratisbonam illuc veniſſem, erat cognitum: ſicut & alterius autorem me eſſe neſciebat) ſed, quicunque eſt, idem quod tu de illo iudico, minimè eſſe in poeſi tyronem. MISOK. Sed quid iſtud eſt? nullum habeo hîc ἐξεταστὴν. Ipſe igitur mihi ἐξεταστὴς futurus ſum, & ad penſum meum redibo.

Quamobrem (ne longa præfatione vtar) conſiderandas eſſe conditiones dico, quibus ſpem illam oſtentaui: ac videndum an quæ illis à me requiſita fuerunt præſtentur.

MISOK. Nónne harum conditionum mentionem in ſequentibus facis? COR. Ad cõditiones reſpicio, quę poſteriore oratione mea continentur: & quarum duæ (ex præcipuis illæ quidem) poſtea memorantur. Scribo enim, *ac dandam præcipuè operam vt leges militares, quarum obſeruatio ad res præclarè gerendas requiritur, ab illis inuiolabiles & tanquam ſacroſanctæ habeantur.* Deinde & de concordia loquor: od quam quum variis orationum illarum hortatus ſim locis, contrà tamen diſcordia noſtras copias grauiter laborare audierim.

Quemadmodum enim medici, à ſuo illo verè anteſignano Hippocrate

moniti, de morborum nullorum sanatione, præsertim paulo grauiorum, bene sperare nos iubent, nisi ea lege vt nequaquam soli, sed ipsi etiam ægroti, & quicunque eos circumstant, vt aliquod ministerium præstent, suo officio fungantur: nihilque desit eorum quæ ad sanitatem restituendam debent concurrere: ita, postquam augustissimus Cæsar magnas & magni roboris copias colligendas atque hostilibus opponendas curauit: singulis illarum ducibus cætera curanda esse aio: ac dandam præcipuè operam vt leges militares, quarum obseruatio ad res præclarè gerendas requiritur, ab illis inuiolabiles & tanquam sacrosanctæ habeantur.

COR. Quid vobis de hac comparatione videtur? (nam & ego mihi vicissim licere volo vos interrogare de iis quæ huc pertinentia in mentem venient) an satisaptam esse illam iudicatis? MISOK. Vix aptiorem afferri potuisse arbitror. KÆN. Eadem est mea sententia. Nec verò dubito quin à Cæsare ipso libenter audiatur ea quæ de se, tanquam tanti mali medico, fit mentio. Sed nos recordari simul oportet illorum de arte medica ver-

suum, Non

Non est in medico semper releuetur vt æger:
Interdum medica plus valet arte malum.

MIS. Pergam ad sequentia.

Quum verò pleraſque contrà ab eorum pleriſque modonon calcari: ac, quum in hoſte debellando concorditer collaborare deberent (ſicut in variis hortatus ſum locis) contrà diſcordia grauiter laborare audierim: ad hæc quàm non conniuendum eſſe putem, ijs quæ ſubiunxi carminibus, & vobis & poſteritati teſtatum relinquere volui.

Valete: & omnia fauſta, dummodo meis hortatibus aures præbeantur, ſperate. Francfordij ad Mœnum, Anno 1594. Septembr. 5.

MIS. Mihi perplacet iſta antitheſis, (neſcio an & tibi Kænophile) *ac quum in hoſte debellando concorditer collaborare deberent, contrà diſcordia grauiter laborare audierim.* Nam verbi alicuius in diuerſo vſu repetitio gratiam addere antitheſi videtur. KÆN. Hoc ipſum eſt propter quod iſte locus magis mihi placet. MIS. Sunt & alia quæ lector ego attentiùs fortaſſe conſideraui quàm tu auditor. KÆN. Tu duas ſimul perſonas ſuſtinuiſti, & lectoris

& auditoris. MIS. Sed poteram mihi lector esse, etiamsi ne mutissem quidem.

KÆN. Putásne Misokæne tuum te pensum absoluisse? MIS. Facta epistolæ tantùm fuit mentio. KÆN Verùm subiuncti sunt ei versus, eiusdem ferè cum epistola argumenti, & ad quos in fine remittere videtur vt ad appendicẽ: in illis ego phonaskian meam exercebo. MIS. Apage istum phonascum, Coronelle. Mihi scilicet vicaria phonaskia opus est: nec sum modulatè pronuntiandis versibus idoneus. Immo te iamiam meæ peritiæ rei quoque huius testem habiturus sum. Illius igitur meæ phonaskiæ rogo vt ἀκουσὴς esse velis, & quidem ὀξυήκοος.

AD MILITES BELLI ANtiturcici, de eo prudenter, concorditer, & seruatis disciplinæ militaris legibus, gerendo,

HENRICI STEPHANI ADhortatoria duo carmina, ad superiores eius orationes appendiculæ.

CHRISTIADVM *memores si nominis esse velitis,*
Militiæ leges si non seruare negetis,

(*Quas*

(Quas atauorum etiam sanxerunt secula leges)
Síque audax pectus mentis moderamen habebit
(Præsertim in ducibus) prudentis: nullá-que vestros
Dissocians animos vobis discordia serpet:
Nempe hostis cadet hic vestris victricibus armis:
Sinminus, arma sua is speret victricia iure.
Quare agite, atq; ad iter gressus nunc flectite rectum,
Hoste vt de tanto sperare tropæa queatis.

KÆN. Nónne quartus & quintus versus (saltem quinti maxima pars) de cauendo à temeritate monent? Nam quum quis dicit, *Siq; audax pectus mentis moderamen habebit Prudentis*, perinde esse videtur acsi diceret, Síque illi qui audacia prædíti sunt, ita sint audaces vt tamen ex audacibus non fiant temerarij. COR. Monent. MIS. Sequitur,

AD EOSDEM MILITES EIVSDEM CARMEN II.

Qui prius hortantis partes fidéque monentis

Sumpsi & sustinui, nunc fœdas absit vt idem,
Absit, adulantis, vos erga sumere partes
Aggrediar. talem mens absit nostra cothurnum
Induat: vtq; meum scriptis proscribere nomen
Incipiã proprijs. Fidè nunc ergo monenti
Vos iterum, attentas nemo non præbeat aures.

COR. Hi versus sunt velut quædam in sequentes præfatiuncula. MIS. Sensum illorum verborum, *talem mens absit nostra cothurnum Induat*, non satis assequor. COR. Perinde est acsi diceretur, Absit vt mens mea sit adeo versatilis. Vel, Absit vt adeo desultorium sit mihi ingenium. Respicitur autem ad Theramenem: qui κόθορνος vocatus fuit, διὰ τὸν περὶ τὴν πολιτείαν ἀμφοτερισμόν. Hæc enim verba libenter retineo, vel propter vocem ἀμφοτερισμόν: quæ non itidem vno verbo Latino, ac ne pauculis quidem verbis περιφράζεσθαι tam significanter potest. Sicut autem Theramenes appellatus fuit Cothurnus, sic & iactatum prouerbialiter fuit, Cothurnus Theramenis.

De vestra nuper quadã mihi nuntia clade
Venit

Venit fama. equidem multum doluisse
fatebor:
Miratum, haud addam. quis enim mi-
rabitur, illos
Accipere in bello cladem, qui bellica rite
Munia contemnunt fungi? quicis prouida cura
Pectore abest? vel queis audacia cedere
verbis
Prudentum renuit? quamuis intendere
neruos
Huc omnes soleant, ne in certa pericla ruatur.

COR. Quæ breuiter in carmine priore dicta fuerant, in hoc latius memorantur. Inter alias autem querelas vrgetur hæc de ausis temerarijs, quòd aliquot eorum exempla referrentur.

Quid dicam, à vestris (heu) quod concordia castris
Exulat? hæc quum à me sic commendata fuisset,
Flecti vt ad hanc modo non adamantina
pectora possent?
Quid quòd res etiam, qua non pretiosior
vlla

Arte in militiæ, res est vilissima vobis,
Et pedibus ferme calcatur? quæritis, illa
Quæ sit? eam dico quæ disciplina vocatur
Bellica. nullæ eius nam vultis lege teneri.

COR. Quàm salutaris sit disciplinæ militaris obseruatio, quàm exitialis illius contemptus, inter omnes constat. Comparatur enim exercitus in quo disciplina militaris non obseruatur, cum republica in qua omnis omnino politeia iacet. Euripides id in exercitu vocat ἀναρχίαν.

Certè ita si visum vobis est pergere, iam nunc
Ponite spes omnes, spes omnes ponite laudis.
Nec satis est, nullam vos laudem posse parare,
Vos manet ex acie non paruum dedecus ista.
Nec satis hoc: peiora manent, (sim vana loquutus)
Totos vestro hostis consperget sanguine campos.
Ergo viam ad rectam vestigia vertite cuncti.
Nanque meis facilem præbentes quæstibus aurem, Gau-

Gaudia non hosti, at vobis præbebitis, ampla.

KÆN. In mentione gaudiorum quæ præbentur hosti non dubito quin ad Homeri locum respexeris. COR. Non potui loci recordari Homerici quin & aliorum quorundam reminiscerer. Est enim quodammodo locus communis. MIS. Ita & mihi videtur.

COR. Hæc sunt quæ à me ad eosdem S. R. Imperij ordines scripta post orationes illas fuerunt. Quod vtinam alia scribendi occasionem alius rerum nostrarum status præbuisset. Sed is tamē, qualiscunque erat, si cum eo qui nunc est ante oculos, cōparetur, propemodum carere periculo videri poterat: at nunc, quum expugnata tandem fuerit vrbs illa quæ omnium firmissimum supererat ipsi Hungariæ propugnaculum, atque in hac oppugnatione clademacceperimus quæ plurimarum instar esse dici potest: in magnum esse res adductas discrimen, siquis negaret, mentis oculis carere, videri posset. Ac fateor certè, me, si nuntiū id iam tum

quum illam epistolam ad eosdem ordines scripsi, fuisset, nequaquam in eius principio dicturũ fuisse, *illud spem à me datam videri interturbare*: sed potius, *spem à me datam videri oppugnare*. Absit, absit vt Vbertus Folieta, vel potius Vberti Folietæ (nam & de Folietizantibus loquor) tantum deterrere Christianos possint vt illos eò tandẽ adducant. Absit, his quas Christiani milites recèns accepere cladibus, ad causæ suæ patrocinium sic vtantur, vel potius abutantur, vt Christianorum animi, quos ante has clades erigere conatus sum, per has omnino concidant. Ac, dum à me hæc dicuntur, fieri non potest quin reminiscar quorundam (ita vt etiã aures meæ illos audire sibi videantur) qui mihi Ratisbona, paulo post quàm ibi habitus conuentus ille fuit, Francfordium redeunti, nescioquæ de clade (licet parua) cuius in illa epistola meminisse me recordamini, iam obganniebant. Quasi scilicet illa meam ad fortiter & constanter persequendũ in Turcas bellum adhortationem refelleret

ac con-

ac conuinceret : ac ego omnem belli
succeſſum præſtare deberem : & quaſi
vllius ſit hortatoris, qui quidem non a-
liud quàm homo ſit, euentum in rebus
huiuſmodi præſtare. Sed hoc tamen
fortaſſe præſtiturus eram, ſi fuiſſet qui
viciſſim præſtare voluiſſet, nihil bello
huic defuturum eſſe illorũ quæ in mi-
litãtibus ipſum exhortatio mea requi-
rebat. Erant autem ea potiſſimum (vt
de cæteris taceam) quorum partim in
epiſtola de qua dictum fuit, partim in
carminibus illi ſubiunctis fit mentio.
Nunc autem quum omnia contrà de-
fuiſſe illi videamus, perinde eſt certè
acſi qui cum medico de morte alicuius
expoſtularẽt, tanquam ab eo non ſatis
ſedulò ſatiſque bona fide curati: quam-
uis eum mori, non medici ſed illorum
ipſorum culpa contigiſſet: quippe qui
à medico præſcripta remedia ei nõ ad-
hibuiſſent: nedum præſcriptis ab eo-
dem pleriſque cautionibus erga eum
vſi eſſent. Atque hoc ipſum eſt quod
comparatione quam ex epiſtola mea
audiuiſtis, innuere volui. Verùm, vt ab

illo medico Hippocratico, id est, eo quem Hippocrates excusat, ad Demosthenicum veniam, id est, eum quē Demosthenes irridet: caui saltē probè ne eodem quo hic Demosthenicus modo irrideri possem. Dicebat enim de quodam qui efferebatur, Si iste suo in morbo his atque illis vsus remedijs fuisset, nequaquam interijsset. Quæ verba iure risu excipiebantur, quum remediorum mentionem serò faceret. At ego haud serò, sed in tempore & maturè ea in meis orationibus, præsertímque in posteriore, proposui, quæ officiū Christianorum, à quibus hoc bellum militabatur, postulabat: vt successūm eius sperare ac modonon promittere sibi possent. Sed quid non fecerunt potiùs quàm ea quæ officium illud ab ipsis nō poscebat tantùm, sed flagitabat? Nec enim ex quibusdam solùm auditiunculis, aut etiam ex vanis rumoribus, in illa epistola questus sum de ijs quæ audistis: sed ex literis fide dignissimis, vt potè hominum fide dignissimorū: quæ quotidie è castris Ratisbonam afferebanban-

bantur. Eò autem vsque nonnulli in suis de contemptu disciplinæ militaris atq; adeo omnium legum bellicarum querelis progrediebantur, vt scribere non dubitarent, haud mirari se res nostras in tam malo esse statu: sed multo peiore loco non esse, id verò se demirari. Atque hinc occasionem sumpsi scribendi, in meo posteriori carmine, versus illos,

De vestra nuper quædam mihi nuntia clade
Venit fama. equidem multum doluisse fatebor:
Mirãtum, haud addam. quis enim mirabitur, illos
Accipere in bello cladem, quã bellica ritè
Munia contemnunt fungi? queis prouida cura
Pectore abest?

Quòd si addidero, me ex earundem literarum autoritate scripsisse ea etiam quę proximè sequuntur de quibusdam μι-σοπονήρους factis, quod verum est dixero. Sed ne hoc quidem vos celabo,

inseruisse me eidem epistolæ nonnulla ex Demosthene, quæ sustulerim postea (quòd alioqui & illa & versus paginis duabus comprehendi non possent) ex Demosthene, inquam, non iam illum suum ineptum medicum irridente, sed populum Athenienſem consolante.

KÆNOPH. Hactenus te attentè ac patienter audiuimus: tuúmque de rebus Turcicis sermonem minimè interrupimus: sed nunc interrumpere cogimur: quòd metuamus ne Demosthenicum illud & tibi & nobis excidat: tibi quidem, è memoria: nobis autem, è spe. id est, ne spe eius excidamus. Quum enim conticere cœpisti, tum contrà sperabamus nos ex te illud audituros. COR. Et verò addere illud, etiam absque vestro monitu, statueram. KÆN. Cur ergo perinde conticebas, acsi finem sermoni imposuisse videri velles? COR. Non quod præ me ferebam, sed quod timebas ne eueniret, dicis. Interponens autem aliquid silentij, dicere poteram fortasse me Gallico pro-

prouerbio parere: quo dicitur, Retrocedendum est vt melius saltetur. Sic enim & ipse, interiecto aliquantulo (aut etiam aliquantululo) silentio, melius ea quæ vellem eloquuturum me sperabam. MIS. Sat citò, si sat bene. Sat bene autem nobis satisfeceris, si nunc saltem illud Demosthenicum adijcere libuerit. COR. Iam addo. aio enim, Demosthenem, solari Athenienses volentem, hoc illis considerandum proponere: *Si adeo malus esset rerum vestrarum status, quamuis omnia quæ officij vestri sunt feciſſetis, & nusquam vobis defuiſſetis: esset cur vix meliorem sperare audere tis: at quum vos contrà officio vestro nulla in parte functi sitis. sed vobis defueritis, quam desperandi materiam habetis?* Ita Demosthenes: sic tamen vt meam interpretationem verbis ipsis haud adstrinxerim. Quidni verò auribus multorum, qui nostri aduersum Turcas exercitus, satis alioqui (non paucorum iudicio) validi, pars fuerunt, omnino eadem inclamentur? KÆN. Parum fuerit huiusmodi verba auribus eorum insonare, inclamare, at-

que adeo intonare. Quidsi enim surdis fabula canatur? COR. Hoc fateor: sed addo, assiduis quoque precibus esse à deo contendendum, vt ea verba ad intima etiam pectorum penetralia velit peruenire: simúlque illorum memoriæ tenaciter infigere, quoties suos Christianos de iisdem hostibus & nostra & maiorum ætate triumphare permiserit. Tantum abest vt fides illi titulo adhibenda sit qui à me tantopere exagitatæ Vberti Folietæ oratiunculæ, vel potiùs epistolæ, præfixus est in editione Rostochiensi (cum eius qui eam procurauit præfatione) DE CAVSIS MAGNITVDINIS IMPERII TVRCICI, ET VIRTVTIS AC FELICITATIS TVRCARVM IN BELLIS PERPETVÆ. Itáne perpetuam fuisse Turcarum in bellis felicitatem? Nisi fortè & debellari & duci in triumphum à Christianis, felicitatis bellicæ loco à Turcis habendum est. Verùm abundè hoc esset, solamen aliquod eam rem vocare, quòd à Christianis potiùs quàm à barbara quapiam gente

gente illa pateretur. Solamen, inquam, eiusmodi, quale illud, *Æneæ magni dextra cadis*. Perinde acsi, quemadmodum dictum fuit, — *quis nolit ab isto Ense mori?* ita Turcarum vnicuiq; de Christiano hoste à quo debellatus foret dici posset ac deberet, — *quis nolit* (vel *nollet*) *ab hoste Debellari isto?* KÆN. Quam multi sunt tamen qui nihil aliud quam cum Folieta magnitudinem imperij Turcici, seu Turcicam potentiam crepant? COR. Nonnulli fortasse ex illis qui ita illam Turcicam potentiam semper crepant, ita bellicis Christianorum aduersum Turcas successibus inuident vt simul crepare propemodum inuidia dici possint. MIS. Bona verba, quæso. KÆN. Hunc ipsum sermonē mihi præripuisti. nam eodem apud Coronellum sermone vti volebam. MISOK. Eum quem tibi à me prę reptū dicis sermonem tibi relinquam, (ne fortè illud criminis loco obijcias) atq; alio apud eum vtar, & quidem Græco. Dicam enim, ΕΤοῆμες Coronelle. COR. Video, neutrum vestrûm quæ à Foliera de magna

Christianorũ ad Turcas deficientium numero scribuntur, legisse: aut neutrum, eorum quæ apud illum hac de re legit meminisse. Multo autem maius & iceleratius hoc est, quàm inuidia successuum qui Christianis in bello contingunt crepare. Quod alioqui fateor esse quandam ad illum defectum præparationẽ. KÆN. Quid? Folietæ illa loquenti, & numerum illorum scelleratorum & verè impiorum augenti, vt credibile est, nihilne obloquutus es? COR. Quæ obloquutus sim, ipsa aduersus illum oratio te docebit. Vt autẽ ad Turcici imperij magnitudinem reuertar, fateor tamen, Turcarum regi suum imperij statum, suámque eius administrandi formam, plurima & maxima suppeditare ad victoriam de Christianis consequendã πρεπτερήματα. Hoc non inficior, inquam: nec verò, si velim, possim. Sed quæ χαλεπὰ (& multa quoque vel χαλεπώτατα, aut etiam χαλεπωτάτων χαλεπώτερα) non sunt tamen ἀδύνατα. Quum autem sæpe contingat vt difficilia sint ea quæ sunt pulchra (sicut &

proue-

prouerbium testatur) illa certè Turcarũ quæ dixi περιπτέρματα faciunt vt Christianorum de Turcis victoriæ, quemadmodum difficiliores sunt ijs quas Turcæ de Christianis reportãt, ita multo sint pulchriores, multo insigniores, multo laude digniores: etiam quum alioqui magnitudine pares tantùm esse contigerit. Sed siue quis victorias Christianorum illud quòd dico laudis & gloriæ περιπτέρμα mereri fateatur, ob illa Turcarum ad obtinendas victorias περιπτέρματα, siue inficietur: at multis & nostro & maiorum nostrorum tempore potitos esse (vt ante dixi) negare non potest. Quod quum ita sit, eant nunc illi de quibus loquutus sum inuidi, eant nunc isti in quos passim incidimus, nõ solùm Turcophoßi, sed etiam Turcotromi: atque, vt cæteros sui similes reddant, perpetuum felicitatis bellicæ tenorem in Turcis deprædicent: sed simul operam dent vt illæ Christianorum de Turcis victoriæ, illa tropæa, perpetuæ obliuionis silentio obruantur. Vnde enim magis quàm ex

tam magnificis Christianorum triumphis tam magnificus Turcarum titulus puri & puti ac prorsus impudentis mẽdacij & potest & debet conuinci? Immo parum est tantum titulum magnifici appellatione ornare: quum ex eo sequatur, Turcarum reges, cum haud minore ipsius rei quam vocabuli nouitate, licere ἀνικήτορας vocare. Nam ἀνίκητον appellationi neutra nouitas inesset: quum & hodie non solùm inuicti vocentur plerique principes, sed etiam inuictissimi: perinde ac si ἀνικητοτάτους quispiam diceret. Quod quamuis ipsa sermonis Græci consuetudo facilè admittat, dubito tamen an libenter ab ipso vsu admissum fuerit. Solus enim deus sibi non hoc solùm inuictissimi epitheton, sed illud etiam inuicti, quamuis minus sit, tribuere potest. Siqui igitur ex principibus inuicti vocari citra adulationem queunt, vereor ne non alio sensu quàm quo Medea dicitur ab Horatio inuicta: in Arte poetica,

Sit Medea ferox, inuictáque.

KÆN. Non dubium est quin illud epithetum

thetum eodem abusu principibus tribuatur quo & monarcha. Nullus enim, vt scis, monarcha est, præter deum. COR. Immo potest quilibet dici monarcha eius cui solus imperat loci. Et quidem patremfamiliâs, alioqui pauperem, vocare domus suæ monarcham possumus. Vnde ego olim ita lusi,

Dicitur impropriè princeps hic & ille,
monarcha:
Ipsè meæ dicar iure monarcha domus.

Abutuntur autem & aliter hoc vocabulo doctores illi qui se iuris ciuilis aut etiam vtriusque iuris monarchas vocant. Qua de re alius erit iocandi locus. Nunc enim ad eos reuertendum est, qui, ad inuicti titulū quod attinet, (nam de altero nunc nihil addam) de Turcarum rege non secus quàm eo qui solus inter principes hoc titulo dignissimus sit, loquitur. Immo, si verum foret eum esse ἀηνικήτοεϛ, multo plus hoc esset (quemadmodum & antea dictum fuit) quàm ἀνίκητον, aut etiam ἀνικητότατον, nominare. Non mirum igitur si Folieta, aliam omnino quàm ego per-

sonam agens, quidvis potius quàm illa Christianorum de Turcis tropæa illósque triumphos ante oculos nobis ponit. Vnde fit vt pleriſque videri possit hoc sibi habere propositum, & huc tanquam ad scopum tendere, vt Turcarum quidem ad res præclarè in bello gerendas πρότερήματα, & Christianorum vicissim ὑστερήματα enumerans, illos quidem in spes quātumuis magnas erigat, nos autem in desperationem adducat. Vtinam verò, vtinam, quum eam qua illius libello respōdi orationem scripsi, quædā eius in alio opusculo verba iam legissem, quæ nonnisi multo pòst legere contigit. Breuissimum enim temporis spatium illi responsioni impendendum fuisset, quum eum suo sibi gladio iugulare possem: nisi fortè alia alibi à se scripta eiurare vellet.

KÆN. Quum te Folietam suo sibi gladio iugulare tum potuisse dicas, qui fit vt ipsum coram nobis nunc iugulando, id te potuisse tum temporis facere (si in illud eius scriptum incidisses, in quod incidere postea contigit) non

ostēn-

ostendas? COR. Decori non recordaris dum hoc ex me scisciteris. annon Horatius, inter alia, vetat ne Medea coram populo filios suos interficiat?

Nec pueros coram populo Medea trucidet.

KÆN. Facetè profectò respondes: (simul etiam nos festiuè vocans populum: qui, si hac populi appellatione digni videri possumus, meritò addatur, ex eodem poeta, in eodem opusculo, *numerabilis*, *vtpote paruus*) sed hoc responso contenti haud erimus: illum, in conspectu nostro, suo sibi gladio iugules oportet: (quãdoquidem hoc te posse dixisti) haud è nostris alioqui manibus elapsurus. COR. Non itidem facetè vos mecum, sed minaciter, agitis. Sed quid si, quum mihi videbor eum iugulasse, vobis non videbitur iugulatus? MISOK. Aliud nostrum hac de re, quàm tuum, iudicium haud erit. Attentas igitur aures mihi præbete. His ego verbis Folietam aggressus fuissem: Quid tibi vis Folieta, dum supra ipsam etiam veritatem potentiam Turcicam extollis? Quid sibi volunt tam multa

Christianis à te obiecta terriculamenta, non adiecto vllo aduersus tantum quem incutis metum consilio? Immo aliquis tuo è sermone conijciat, aliquod te dare voluisse consilium: sed consilium consilij nomine indignum: consilium per quod Turcis optimè, Christianis pessimè consulatur. Ex ijs enim quæ sermocinaris, ex ijs quæ ratiocinaris, nō aliud sequi videtur quàm vt omnes Christiani principes, (primo tamen Germanis principibus, honoris causa, relicto loco) ad regis Turcarum pedes prostrati misericordiam eius implorent. Atqui, Folieta, tua ista sententia tuis, sed alibi pronuntiatis, verbis damnari potest. Audi enim, quamuis perinuitus, quæ alibi scripsisti, *Bellum quod fœderati Christiani principes cum Selimo Turcarum rege potentissimo gesserunt, tempore quidem breue fuit, non plus triennio: cæterùm magnitudine rerum gestarum, ac nauali pugna, ex omnium seculorum memoria clarissima, in primis insigne. Illa quoque re memorabile, quòd docuit, Turcarum opes superabiles esse: dum nos armis, qua in com-*

communē hostem vertenda essent, ad nosmet ipsos mutuis cladibus conficiēdos abutimur: illique, assiduis damnis nos carpendo, maiores vires maiúsque robur in dies assumunt. KÆN. Aut ego valde fallor, aut suo iugulatus gladio dici potest: siquis vnquam dici potuit. Ac mirum est certè ab eo hæc scribi, *Illa quoque re memorabile* bellum, *quòd docuit, Turcarum opes superabiles esse: dum nos armis, quæ in communem hostem vertenda essent, ad nosmet ipsos mutuis cladibus cōficiendos abutimur.* Cur non eadem in illa sua epistola fatebatur? COR. Quia idem non erat. id est, non eadem mente præditus erat: non idem sibi proposuerat.

KÆN. Verùm, quandoquidem nobis nihil amplius cum homine iugulato est negotij, aliò sermonem nostrum transferamus, nondum tamē à rebus Turcicis discedentes. Quæro igitur ex te, verúmne sit, te quosdam etiam versus de isto contra Turcas bello scripsisse. COR. Verum est me scripsisse, & multos quidē: sed paucos memoria teneo. Quū autem in aliquot carmina sint diuisi,

alîus carminis principium, alîus medium, alîus finis aliquando in mentem venit. KÆN. Nihílne ex illis, aut saltem ex aliquo illorum, venire nunc in mentem potest? COR. Immo. ac primùm isti hendecasyllabi mihi succurrunt,

Ecquis Panicus est timor vocandus?
Si non Panicus est timor vocandus
Horum qui metuunt tremúntque Turcam,
Ceu quus Teutonicus stet ante portas
Pœnus Annibal, aut magis timendus
Hostis Annibale, omnibúsque Pœnis.

KÆN. Nunc dicet aliquis haud Panicũ fuisse timorem. COR. Fateor illud dictum iri: sed verum tamen erat quod dicebam, si tam bene se gerere milites voluissent quàm malè se gesserunt: & tot reprehensionum materiam illi etiã meæ epistolæ ac subiunctis ei versibus non præbuissent. KÆN. Hoc fatebitur quicunque verum fateri volet. MIS. Dixisti illos hendecasyllabos esse primos qui tibi à memoria suggererẽtur, tanquã & de alijs ab eadem suggerendis spem concipiens & verò nobis faciens.

ciens. COR. Vana spes vestra futura haud est. Recordor & cuiusdam adhortationis ad amplissimos S.R. Imperij ordines, vt acquiescant iustissimæ augustiss. Cæsaris, Rodolphi II, petitioni, de bello in Turcas fortiter & cōstanter persequēdo. Sed principij tantùm recordor,

Iusta vnquam siquis vos est hortatus ad arma
Cæsar, id hic Cæsar dignus habere decus.
In quem etenim possit quis iustius arma mouere,
Quàm qui Christicolis omnibus arma parat?
Nanque suo si colla iugo Germanica subdat,
Christicolis quibus (heu) libera colla dabit?

MIS. Paulo vlterius progredere. COR. Memoriam vlterius progredi prius oporteret, quàm lingua id posset facere. MIS. Multorum tamen esse versuum hoc carmen existimo. COR. Est octoginta versuum, aut circiter. Sed ecce,

dum hoc ex me quæris, memoria mea liberalior vel potiùs fidelior (nisi minus infidelis dicendum est) voluit esse quàm sperabam. addidit enim mihi & clausulam illius poematij: sicut & meæ eam linguæ vobis addet.

Clausula sit (veniam date libera verba loquenti,
Cui vel apud reges libera lingua fuit)
Elapsam hanc vobis vestra irrita vota requirent:
Ac prætermitti hanc, arbitror esse nefas.
Sed si contingat tamẽ hanc elabier, huius
Opto mali ne sit conscia posteritas.
Nanq; decus quum vos à posteritate maneret,
Dedecus hinc contrà grande manere queat.

MIS. Non dixisti quæ sint illa de qua loqueris: sed coniectura mihi assecutus videor. Non dubito enim quin ista de domina illa dicantur quæ fronte capillata est, post autẽ calua. COR. Non fallitur coniectura tua. Sed ecce, subeunt mentem & duo, qui hos proximè præce-

præcedunt, versus: in quorum priore nomen illius collocatum est:

Non repetam vt latos vobis occasio vultus
Ostendat: nostro hæc sat memorata libro.

KÆN. Sed illi duo versus à quibus clausulæ initium sumpsisti, & quidem quorum primum vocabulum est Clausula, habent aliquam μεγαλη̃ρείαν, siue μεγαλορρημοσύνην. Nam dicere, sibi apud ipsos etiam reges liberam linguam fuisse, reuera est magnificè loqui. COR. Magnificè hîc loqui fas erat: nimis magnificè, nefas. KÆN. Sed non cogitabas, ipsum imperatorem, seu cæsarem, vnum ex ijs quos compellares, altiorem regio gradũ tenere? COR. Immo non compellabatur à me ipse imperator. Nam (si memor es tituli huic poematio præfixi) cõpello amplissimos S. R. Imperij ordines, eos hortans vt acquiescant iustissimæ augustiss. Cęsaris, Rodolphi II, petitioni, De bello in Turcas fortiter & constanter persequendo. KÆN. Fallebatur mea memoria: iam recor-

dor hunc esse titulum quem antea proposueris. COR. Quòd si tamen ipsum etiam cæsarem compellassem, & me cæsaribus quoque alijs libera esse loquutú verba dixissem, ego certè non minus fuissem haud tantùm μεγαλορρήμων, sed & ἀληθομεγαλορρήμων. KÆN. Quos igitur cæsares antea es alloquutus? COR. Ferdinandum, & Maximilianum, huius parentem. Sed reges multo plures compellaui: inter quos fuit Eduardus, vltimus hoc nomine rex Britanniæ, quæ vulgo Anglia vocatur. Inter Galliæ autem quos alloqui datum mihi fuit reges, nullus est de quo iustiùs dicere illud possim, me libera ei verba esse loquutum (& quidem non semel: quum aditus ad eum mihi frequentissimè pateret) quàm Henricus tertius. Ac supersunt qui testari possunt illum de me dixisse, nullum se conuenisse qui magis à duobus in aulis potissimum regnantibus vitijs abhorreret: ab adulatione & ab hypocrisi. KÆN. Cecinit Flaccus,

Principibus placuisse viris, non vltima laus est: ego

ego verò canam,

E Vlogium ferre hoc à rege, haud vltima laus est.

Obserua autem, esse me eius quod me ante multos menses docuisti, memorem, *eulogium* scribendum esse, non *elogium*, multóque minus *ellogium*. quam scripturam quidam nuper excogitauit. Sed nónne & rationis quam reddidi es memor? KÆN. Sum. COR. Verùm, sicut illud de huius vocabuli scriptura te docui, ita ignorare te nolo, non esse è numero eorum quæ poesis quoque libenter admittit. MIS. Nihílne præterea impetrare à tua memoria potes? COR. Nihil, nunc quidem. MIS. Quid faceret hæc, si de suppeditandis tibi alienis ageretur, quum tam malignè tua tibi suppeditet? COR. Immo aliena potiùs quàm quæ mea sunt, mihi benignè solet suppeditare. Recordari tamen incipio alius cuiusdam carminis: sed quod vereor ne eulogio illi repugnare videatur. KÆN. Curid veteris? carmen illud habétne aliquid vel adulatorium, vel hypocriticum?

COR. Haberet potius aliquid illi quàm huic simile: sed neutrum habere, ipse (credo) Areopagus iudicaret. KÆN. Quidnam igitur illud est? COR. In quo bellum hoc, meritò sacrum vocatum iri dico. KÆN. Nulla huic dicto vel adulationis vmbra subesse dici potest: quū & Tyrij cuiusdam de bello quod sacrum eadem ratione appellat, scripta exstent. Nec dubito quin eorum recorderis. COR. Recordor: & quidem vel hac de causa, quòd illa è Latino sermone in veterem sermonem Gallicum versa fuerint: cuius lectione sæpe delectatus fui. KÆN. Vnde igitur tibi ille metus? COR. Quòd etiam ipsos ad hoc bellum conatus, sacros vocauerim. Ita enim ego, non procul à carminis illius principio,

Si bellum hoc meritò iustum sacrúmque vocandum est,
Hos quoque conatus quis neget esse sacros?
AVribus hoc non do, non blandior. haud mea cuiquam
Suauiloqua lingua est principi plusquam decet.

KÆN.

KÆN. Cæsarem hîc compellas, quantum video. COR. Illum certè ipsum. KÆN. Si plures huius carminis versus audirem, vel hunc metum à te non absque ratione concipi, liberè profiterer: vel eo te liberarem. COR. Horum tantummodo quatuor versuum reminisci possum: & scio, siquid mali est, à quo mihi timendum sit, his subesse. KÆN. Si res ita se habet, omni te metu libero. Sed quid hoc sibi vult quòd vni hexametro subiunctus est qui vulgo pentameter, alteri autem is qui iambicus appellatur? Nónne in toto carmine eadem vicissitudo seruata fuit? COR. Fuit. KÆN. Túne hanc istorum versuum ἐπαλλαγὴν inuenisti? an exemplum alicuius in ea sequeris? COR. Huius me inuentorem esse si dicam, nõ mentiar. Aut si dicam saltem (vt cautiùs loquar) me apud nullum eam vidisse: ac ne audiuisse quidem vlli eam in mentem venisse. Videor autem mihi huius rei mentionem & alîas apud te fecisse.

MIS. Nihílne aliud à te poterimus impetrare? COR. Nihil aliud: si qui-

dem nihil aliud à mea depositaria impetrauero. Mis. Quænam est ea quam depositariam vocas? Cor. Ea cuius à me facta sæpe fuit mentio. Mis. Tuam ergo memoriam, depositariam tuam vocas. Cor. Nimirum. Mis. Nullam tamen à iurisconsultis depositariæ huius mentionem fieri memini. Cor. Haud omnes depositarij vel depositariæ ab illis recensentur. Mis. Tuum est illam depositariam solicitare: aliquid ampliùs fortasse, partim in tuam partim in nostram gratiam, præstare non recusabit. Cor. Iam aliud quoddam carmē cæteris adijcit: sed aliqua tātùm ex parte hoc præstat. Mis. Quid ais? quomodo aliqua tantùm ex parte hoc præstare dici potest? Cor. Quia illius carminis argumentum tantummodo mihi subministrat. Mis. Ergo ne hoc quidem dicere potes,

—— numeros memini, si verba tenerem.

Cor. Ne hoc quidem possum dicere. Sed ad argumentum quod attinet, in illo carmine Turcicum bellum cum Annibalico (quantum ex ea intelligo) com-

comparatur: ac dicitur Germania sic habere regem Turcarum hostem periculosum, vt habuit olim Roma periculosum hostem, Annibalem. MIS. Nulliúsne omnino versus tibi in mentem venit? COR. Immo vnius. MIS. Eum recita. eius fortasse recitatio alios eliciet. COR. En tibi illum,

Teutonicæ Annibal est certè rex Turcicus oræ.

MIS. Vel hic versus verum esse testatur, tale esse quale dixisti carminis illius argumentũ. COR. Tua spes te non frustrabitur: versus illius recitatio iam alios è mea elicere memoria incipit. Sed quum ab ea quidam imperfecti exeant, ego huic malo mederi nõ possum, quin nonnulla secus à me recitentur quàm scripta tum fuerunt. AVdi igitur.

Romana Annibalem domuit constantia tandem:
Romanis ingens terror at ille diu.
Nec tamen huic bello brumas tot posco, tot æstus,
Quot bello impẽdit Martia Roma suo:

Sed talem opto ducem vobis contingere primum,
Qualis Romulidis vltimus ille fuit.

MISOC. Prudentissimum sane & optimum votum: sed nondum damnatus votis fuisti. Nondum enim aliquis Fabius Cunctator, & cunctando restituens rem, huic bello contigit. COR. Vtinam Deus opt. max. tam multis, tam pijs, tam ardentibus precibus de dando tali duce oretur, vt tandem exoretur. MIS. Vtinam. KÆN. Vtinam. MIS. Nihilne amplius à te exspectandū est? COR. Nihil: ne hemistichium quidem. MIS. Contigit hoc nescio quomodo (sed bene tamen contigit) vt versuum tuorum recitationem ab Annibale inceperis & in Annibale finiueris. COR. Facis vt recorder illorum phaleuciorum, à me ante recitatorum: quorum tres posteriores sunt hi,

Ceu quis Teutonicas stet ante portas
Pœnus Annibal, aut magis timendus
Hostis Annibale, omnibusque Pœnis.

Quod vtinam velit is quem modò precati sumus præstare se ἀποτρόπαιον aduersus

sus hunc siue magis siue minùs timendum hostem Germaniæ quàm Romanis ille Pœnus Annibal timendus fuit. MIS. Vtinam. KÆN. Vtinam. COR. Sed audi Misokæne, habeo de quo te moneam. MIS. Moneri gaudeo, præsertímque à bonis monitoribus: quorum in numero vel primum esse Coronellum, habeo persuasissimum. COR. In errorem incidisti, cum multis, immo cum plurimis, atq; adeo quamplurimis, tibi communem. Sed non puto te cum nescioquibus iurisconsultis mihi occlamaturum, *Error communis facit ius.* Quod certè quàm falsum est, tam falsò allegari videtur: siquis diligenter locum vnde sumptum est hoc pseudaxiôma consideret. MIS. Ne me tamdiu suspensum tene. COR. Tu igitur hoc age. Recordare, te, quum vltimos hosce cuiusdam carminis versus recitassem, (illud autem est cuius mentio postremò facta fuit)

Sed talem opto ducem vobis contingere primum,
Qualis Romulidis vltimus ille fuit,

mihi acclamasse, nondum me damnatum votis fuisse. MIS. Quid erroris hîc esse dicis? siquid erroris hîc esse contendas, sexcentas operum Virgilij editiones eiusdem eo in loco erroris accuses necesse est. in illis enim legitur, *damnabis tu quoque votis*. COR. Quidni accusem erroris editiones illas, quotquot sunt? vel si plures sexcentis essent? an multitudinem à reprehendendo illam scripturam, & à mutando *votis* in *voti*, posse me deterrere existimas? Huius autem emendationis ratione Schediasmata mea tibi reddent. Arbitror certè me in posteriore saltem operum Virgilij editione lectioni huic non illi locum dedisse. KÆN. Non est quod hac de emendatione dubites, Misokæne. COR. De alio simili omnino apud poetam eundem errore monitum te volo. Similem dico errorem, quòd similiter litera in voce *ventos* redundet quamplurimis in editionibus. MIS. Huic quoque admonitioni attentam aurem sum præbiturus. COR. Locus est Æneidos primo. nam ibi quidam

locus

locus est, vbi quum vulgo scribi soleat *ventos*, scribendum est *vento*. Locus est hic,

Æole (nanq; tibi diuûm pater atq; hominum rex
Et mulcere dedit fluctus & tollere ventos)

MIS. Maximas tibi de vtraque admonitione grates ago. KÆN. De priore iam aliàs tibi gratias egi, quum in me hoc beneficium conferres; de posteriore aguntur à me nunc primùm gratiæ, quum nunc primùm à te hanc gratiam ineam.

COR. Sed quid audio? præpropera certè mihi videtur hæc quæ campana indicatur hora. Nisi potiùs ipsa index præproperare dicenda est. Interim tamen admonitrix mei est hora ista: & me ad quædam negotia vocat, quæ prandio præuertere meo necesse est: vt post prandium vobis operam dare, atq; ita promissum implere possim. KÆN. Gaudeo te promissi illius memorem esse. MIS. Gaudeo ipse pariter. KÆN. Non aliud superest, Misokænè, quàm

vt. Coronello valedicamus, & nos statim post meridiem reuersuros polliceamur. COR. Inuitatos à me vos ad prandium fuisse, sed condicere mihi noluisse, scitis. Quod si facere vobis libuisset, ego negotijs meis valedixissem, vt vos mihi non valediceretis, & reuerti ad me necesse non haberetis. KÆN. At nos à te discedentes quædam negotia exceptura erant, quæ ne à te prandio excipi possemus in causa fuerunt: quum illis valedicere minimè liceret. COR. Vos igitur amplius de remanendo vrgere nolo, at valedicere, vt abiturientibus, volo: si tamen tam breuis futura absentia, æquè atque alia, valedictionis officium postulat. KÆN. Nunc non tempori sed consuetudini seruire velle, dicendi omnes sumus.

COR. Ad me quæso gradum reuocate Kænophile & Misokæne. KÆN. En, præsto sumus. COR. Fidem apud vos meam liberare volo. KÆN. Qua tu nobis de re fidem dedisti? COR. De fide loquor tacitè vobis & in pectore meo

meo data. KÆN. Quade re? COR. De quodam epigrammate à me scripto in illum Thesauri mei egregiũ epitomographum, de quo ante à nobis habitus sermo fuit. Nam sciebam quidem, me præter versus eos quos vobis recitaui de egregia ab illo egregio viro nauata opera, alios scripsisse: sed mentionem illorum in id tempus reseruabam quo factus omnino memor, esse etiam recitator possem: ac tum me hoc supergratificaturum, vobis tacitè (nimirum in pectore meo) pollicebar. Nunc igitur, quũ me repente eorum reminisci contigerit, huic etiam promisso, licet tacito, stare volo. KÆN. Es verè bonum nomen, & debitor bonæ fidei: qui etiam pectore inclusum promissum & expectorare & implere velis. COR. Audite igitur Græcum meum tetrastichum. KÆN. Rectè facis quòd Græcum futurum mones. aures enim meas ad excipiendum Græcum non Latinum sonum præparabo. COR. Si supervacaneum fuit illud de lingua qua scriptum est addere, (vt tu ioco illã meam adiectionem

ctionem excipis) at non itidem superuacaneum fuerit hoc prædicere, me, loquentem ibi personam esse,

Ὅρκια πιστὰ ταμὼν γλώσσης πάντεσσιν ἑρυσσᾷς
Ἑλλαδικῆς ταύτην ἐξεπόνησα βίβλον·
Ἀλλὰ πόνους τὸς ἐμοὺς ὄπτέμνει, πᾶσιν ἑρυσσᾷς
Ἑλλαδικῆς γλώσσης ὅρκι' ἄπιστα ταμών.

KÆN. Si totam hanc tuam nobiscum multiplicem & de varijs rebus διάλειψιν conuiuium appellare licet, quo aures pariter mentésque nostras excepisti, (quidni autem liceat, imitando Græcos in vsu verbi ἐστᾶν?) te omnium optimum & delicatissimum ferculum secundis mensis, vel potius velut cuidam ad secundas mensas appendiculę, reseruasse, meritò dixerim. MIS. Me certè Kænophilus assensorem habet. COR. Mihi gratulor quòd illud meum epigramma optimi & delicatissimi ferculi habetis loco: ac mihi interim in memoriã reuocatis quod de quodam, epigramma suo à coquo tanquam cibi delicatissimi genus, exigente, narratur. MIS. Non miror si Græco mandare sermoni quod animo conceperas volui-

voluisti. Quomodo enim tam multæ tamque magnę sermonis deliciæ cadere in Latinā linguā potuissent? Nam (vt omittam cùm alia, tum verò illa, ὄρχια πιστὰ ταμὼν, & ὄρκι' ἄπιστα λαμὼν, duobus simul modis ad illam epitomographiā alludis. O quantis se priuant delicijs, qui Græcæ linguæ cognitione se priuant.

KAEN. Ego huic tuo ἐπιφωνήματι συνεπιφωνῶ: & Coronello nos hoc quoque deliciarum genere εἰσακόπ & gratias ago & simul valedico iterum, vtrunque vtriusque nostrûm nomine.

DE LIPSII LATInitate (vt plerique Latinum Lipſij ſtylum appellant)

PALÆSTRA PRIMA

HENR. STEPHANI,

neque Lipſiomimi, neque Lipſiomomi, neque Lipſiotolacis: multóque minus Lipſiomaſtigis.

In hac PALÆSTRA multa non vulgaria vulgi literatorum linguis de ea digladiantibus opponuntur.

PALÆSTRA PRIMA.

Palæſtritæ tres,

CORONELLVS, KAENOPHILVS, MISOKAENVS.

KÆNOPHIL. PLVRIMA ſalute Coronellum Miſokænus & Kænophilus impertiuntur: hominum genus non iam matutinarium nec veſpertinarium, ſed pomeridianarium. CORONEL. Kænophile, Kænophile, ſemper eris kænophilus, ſine philokænus. MISOK. Vnde hæc præpoſteritas?

sferitas? resalutandi enim prius eramus. COR. Dicerem me vtrique vestrûm salutem reddere: (vt quidam olim loquuti sunt) sed cur reddere velim quam mihi, si sapiam, retinere debeo? KÆN. O iocularem aporian. COR. Quid mihi cum aporia? MIS. Felix tu, felices quotquot tecum dicere hoc possunt, nihil sibi esse cum aporia. COR. Si iocularis mea fuit aporia, tu viciſſim ioculariter παεγνεῖς, (iam enim, quid hac voce intelligã, ex superiore colloquio intelligis) quũ ita de ea loqueris. MIS. Immo, absque ioco, miror quorsum aporiæ hîc fiat mẽtio. KÆN. Video quid Misokænum in errorem inducat: de aporia illa vtrunq; nostrûm loqui credit, cui euporia opponitur. MIS. Non de alia certé: quum alioqui mirer (vt antè dixi) quorsum eius fiat hîc mẽtio. KÆN. Tibi contingit Misokæne idem quod antea circa verbum παεγνοῶν contigit. Nam ignoratio alterius vsus quẽ habet itidem illud nomen aporia, te ludificatur. MIS. Quisnam est ille vsus? KÆN. Rhetoribus est etiam cuiusdam

schematis, seu figuræ, nomen. Mis. Scio, ignorantiâ me ludificari in multis posse (sicut magnam hominum turbam quotidie ludos facientem hanc cernimus) sed vide tamen ne, quod in me torques retorqueri in te debeat. Illud enim schema quod aporian nominari putas, vocatur diaporesis. Kæn. Et diaporesin appellari scio, & aporian quoque dici non nescio. Mis. Verum in me haud fuit prouerbium, Piscator ictus sapit: sed verũ & in me & in quouis alio fuerit, si paulùm eius verba immutans dixero, Piscator ictus debet sapere. Kæn. Cur istud ais? Mis. Quia iam de vsu verbi διαπορεῖν infelix mihi certamen tecum fuit. Kæn. De hac re non cogitabam, quamuis à me paulo ante memorata. Mis. Video tandem, vsuvenire mihi quod alijs quamplurimis, dum de ijs quæ pertinent ad Græcæ linguæ cognitionem ita disceptant, vt interim se modulo suo non metiantur: & se, minùs in ea exercitatos, cum magis exercitatis loqui, obliuiscantur. Sed responde (amabo) illi ioculari aporiæ

poriæ Coronelli. KÆN. Conabor saltem: atque hoc regeram, sic eum alicui posse salutem reddere, vt interim tamé eam qua ille ipsum impertitus fuerit retineat. MIS. Cõtrouersiam hanc in aliud reijciendam tempus censeo. KÆN. Sed in quod tempus? matutinum iam præterijt: pomeridianum & vespertinũ alij sermoni assignauimus. An vis hunc ad id locorum reseruemus quo quartum etiam quendam confabulatorem habeamus? MIS. Non de loco sed de tempore loquimur. KÆN. Istud loquendi genus (quantum video) non intelligis, *Ad id locorum*. Sed audi Salustium de Mario ita loquentem in bello Iugurthino, (quum dixisset illum ab eo magistratu, tribunatu videlicet, alium post alium sibi peperisse: sempérque in potestatibus eo modo agitasse vt amplíore quàm gerebat, dignus haberetur) *Tamen is ad id locorum talis vir (nam postea ambitione præceps datus est) consulatum appetere non audebat*. Vidén' vt ego Salustij sim imitator? Sed alium eiusdem tibi locum afferam, vbi

itidem *Post id locorum* dicit: in eadem belli Iugurthini historia, *Neque post id locorum Iugurthæ dies aut nox vlla quieta fuit.* Ac (quod magis miretur aliquis) vocem *loco* statim pòst apud eum legimus. Subiungit enim, *Neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori, satis credere.* Mis. Credibile magis est (vt hoc dicam in transitu) scripsisse, *neque loco aut tempori, neque mortali cuiquam satis credere.* Consueuerunt enim Latini scriptores mentionem loci & temporis, seu temporis & loci, coniungere. Kæn. Multas alias aliorum scriptorum consuetudines nihil moratur Salustius: vt in altero colloquio dictum fuit. Mis. Quandoquidem sermonem tuum interrupi, pergam paulo vlterius: ac te interrogabo an putes Salustium ita scripsisse in illo altero loco, *nam postea ambitione præceps datus est.* an verò *ambitioni*, aut *ab ambitione.* Kæn. Videtur lectio illa quã attuli, ferri posse. Ambitione autem sonabit per ambitionem. Sic in Coniuratione Catilinæ, *Luxuria atque inopia præceps abierat.* Perinde acsi dictum esset,

set, Per luxuriam atque inopiam præceps abierat. Hoc autem *præceps abierat* ex altero loco potest exponi, *præceps data erat*. Loquitur enim de Sempronia, quam antea dixerat multa sæpe virilis audaciæ facinora commisisse. MIS. Sed tamen nónne illarum quas attuli lectionum alterutra magis aptum locum haberet? KÆNOPHIL. Apud alium fortasse magis aptum haberet: at verò alter ille eiusdem scriptoris locus facit vt magis aptum apud eum habituram locum haud credam. Qui tamen non dubito quin sic quoque loquuturus alibi fuerit, Ambitio illum præcipitem dederat. Ac dicturus eodem sensu, Ambitio illum transuersum egerat. Sic multa sunt apud quosdam scriptores, (& quidem apud hunc præcipuè,) quæ aliquis falsò suspecta habeat. Exempli gratia, in bello Iugurthino, *Primò indicem persequi conatus, postquam id frustra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit*. Quamplurimi enim dicerent, ac contenderent etiam, scribi hîc debere, *postquam id frustra fecit*. Nec

certè huic loco hanc lectionem non conuenire, contradici posset. Sed audimus Salustium alio in loco (qui est in in eadem de bello Iugurthino historia, nō multo ante principium) ita loquentem de ipso Iugurtha; *Quippe cuius neq; consilium neq; inceptum vllum frustra erat.* Atq; hic locus minimè talem mutationem admitteret, qualem prior posse admittere (apud alium quidem certè scriptorē) videtur. Minimo autem interuallo dissitus est ab illo priore hic, *Lacrymans obtestatur per amicitiam, pérq; sua antea fideliter acta.* Vbi aliquis scribendum esse crederet, *sibi antea fideliter acta.* Vidi autem & qui, antiqui styli inscitia, quasdam particulas apud hunc antiquarium scriptorem ita mendi suspectas haberent, vt etiam emendare (vt quidem ipsis videbatur) auderent. Exemplo erit hic locus, initio orationis Syllæ ad Bocchum, *Rex Bocchè, magna nobis est lætitia, quum te, talem virum, dij monuere vti aliquando pacem quàm bellum malles.* Hîc enim voculam *quum* in *quòd* non solùm mutandam censebant, sed

sed mutare etiam audebant: quòd nescirent hunc esse antiquum particulæ *quum* vsum: vt etiam Coronellum obseruasse apud Plautum existimo, inter suas in illum obseruationes. Iam verò reperiuntur & loci nonnulli vbi lectio diuersa est: ac vna quidem stylo Salustij, altera autem consuetudini Latini sermonis passim receptæ conuenire existimatur. Exempli gratia, in eadem Iugurthini belli historia, *Peruenit in oppidum Cirtham, quo initio profectus intenderat*. Hic enim *intenderat* verè Salustij esse iudicatur: vt pote soliti dicere Intẽdere in aliquem locum, pro eo quod alij dicunt Tendere: at quædam editiones non *intenderat* habent, sed *tetenderat*: quædam & *tenderat*. Alicubi verò lectio est verè in vtranq; partem peccans: veluti hoc in loco Iugurthinę historiæ, *At Iugurtha, cognita vanitate atq; imperitia legati, subdolè eius augere amentiam, mittit are supplicanter legatos: ipse, quasi vitabundus, per saltuosa loca & tramites exercitum ductare*. Hîc enim non *supplicanter*, sed *supplicantes* in alijs edi-

tionibus legitur. Verùm & pro *vitabundus* (quæ terminatio huic scriptori in alijs plerisq; nominibus placet) sunt exemplaria quæ habent *nitabundus*. Cæterùm eo quem ostendi paulo antè modo quempiam scriptorem secum (vt ita dicam) conferre operæpretium est. Hunc autem præ quouis alio. nam, etiamsi parua scriptorum eius portio supersit, multa, styli antiquarij consuetudine, eodem modo dicta alijs atque alijs recurrere in locis videmus.

Cor. Non de Salustij sed de Lipsij Latinitate dissertaturi huc venimus: quorsùm igitur de Salustio tam multa? Kænoph. Occasionem ipse præbuit, quodam Salustiano loquendi genere vtens, quod ex ijs est quæ mira videri possunt. Iam verò aures meas verberauerat quorundam verborum sonitu, quæ Græci non ἀλλόκοτα tantùm sed ἀλλοκώτατα vocarent: & quæ, Græcum illum oratorem sequendo, non tam verba quàm monstra vocare liceret: præsertim quum de illis dici queat,

Verba ea sunt ipso penè tremenda sono.

Nam

Nam quis ista, *Hominum genus non iam matutinarium, nec vespertinarium, sed pomeridianariũ*, talia esse nõ fateatur? Mis. Meas ipse aures non solùm verberatas cum tuis, Coronelle, sed etiam consternatas illorum verborum fragore si dixero, iniucundum quidem aliquid Kænophilo, sed veritati tamen iucundum dixero. KÆN. Si secus loqueretur Misokænus, haud consentanea suæ misokæniæ loqueretur. MISOK. Idem quod ego, de illis ante me pronuntiauit is quem nec misokæniæ nec kænophiliæ potes arguere. Et verò ne Lipsius, quidem qui & ipse in sermone valde est siue kænophilus, siue philokænus, illa ferre verba, (vt opinor) posset. KÆN. Ergo, tuo iudicio, & ipse philokænus. MIS. Sed philokæniæ suæ paulo magis moderatur Lipsius, illorum versuum memor,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citráque nequit consistere rectum.

Adde quòd non tam philokæni sunt &

Lipsius & Lipsiomimi, (de maiorum gentium Lipsiomimis loquor) quàm philopalæi. Kæn. Illorum τὸ φιλοπάλαιον à te plerunq; iudicaretur φιλόκαινον: nec magis patientes illis quàm mihi aures commodares. Quum enim tuis auribus accideret *prosapia*, quid diceres? Mis. Dicerem profectò esse φορτικὸν, aut etiam φορτικώτατον. Kæn. At ecce tamen, illa gens Lipsiomimorum (& quidem ea etiam quæ est maiorum gentium, vt antea loquutus sum) illo vti vocabulo non dubitat. Mis. Haud possum linguam ita frænare vt non exclamet,

Quod genus hoc hominum? quæue hoc tam barbara verbum
Admittit Latij regio?

Sed eo fortasse vocabulo tum demum vtuntur quum EVandri matrem alloquuntur. Kæn. Rarissimè, vel potiùs nunquam, eo vterētur, si tum demum vterentur: quum ipsis contrà sit frequens illius vsus. Mis. Atqui vix vllum est inter obsolera magis (si bene memini) explosum. Kæn. Non deest illis quod huic obiectioni opponant. Mis.

Quid

Quid illud est? quæso. Hoc mihi dicito, si me amas: vel potius, quantum me amas. KÆN. Vix mihi persuadeo, persuasum Misokæno esse, amari se à Kænophilo. MIS. Immo est persuasissimum. Falleris enim, si putas, credere me (quū è meo sensu de te iudicem, tuúmque ingenium è meo metiar) nostras velitationes aliquid pristinæ amicitiæ resecare. KÆN. Sicut tamen dictum fuit ὑβρεις ἔρωτας ἔλυσε, sic dici posse reor νεῖκος ἔρωτα (ita enim malo quàm ἔρωτας dicere) ἔλυσε. MIS. Sed alius naturæ sunt contentiones literariæ quàm aliæ. KÆN. Coges me tandem tuo desiderio hîc quoq; satisfacere. MIS. Immo te iam cogi finge per quãdam περιαναγκην. Hoc tibi finge, amabo. KÆN. Ad illum nostrum sermonem repedemus. Quum diceres, vix inter obsoleta vocabula esse vllum magis explosum (quantum quidem meminisse posses) quàm illud Prosapia: respondi nō deesse illis quod huic obiectioni opponant. Audi igitur quid antiquarij (de his enim sermo nunc est) respondeant. MISOK. Quo

magis miror quid rationi consentaneũ respondere possint, eo magis id audire cupio. Quare ne dubita quin me attẽtum auditorem sis habiturus. KÆN. Respondent, se antiquariorum principẽ, tanquam optimum ducem, sequi. MIS. An est Lipsius, quem antiquariorum principem vocant? KÆN. Nequaquam. MIS. Quis ergo ab illis eo titulo honestatur? KÆN. Quisquis est, multis seculis Lipsium antecessit. MIS. Sed ille tuus Quisquis est, quis tandem est? KÆNOPH. Quidam è cuius multis historijs paucæ in lucem veniunt. MIS. Haud vnus est cuius historiarum magnam iacturam non sine magno mœrore fecerimus. KÆN. Est quidam cuius stylus à breuitate etiam commendatur. MIS. Misera esset Latina lingua, si vnicum scriptorem haberet qui à breuitate quoque commendaretur. KÆN. Est quidam de quo epigramma exstat, hoc inter alia dicens,

Et verba antiqui multum furate Catonis.

MIS. Hoc si initio dixisses, me per tot anfra-

anfractus viarum non circumegisses. Ex hoc enim versu te de Salustio loqui intellexissem: sicut nunc intellexi statim. Quid? habetúrne antiquariorum princeps? KÆN. Hoc à te ignorari miror. MISOK. Fuítne olim quoque habitus antiquariorum princeps? KÆN. Habitum fuisse iam olim in numero antiquariorum, vel ille versus ostendit: an autem eadem ætas principem antiquariorum esse illum censuerit, nec mihi nec alijs plerisq; constat: sed nostro saltem seculo, quo tot aliorum scripta desiderantur, id est de illo iudicium. MIS. Quis hoc credat? illum adeo antiquarium fuisse vt etiam vocabulo illo *prosapia* vti non dubitauerit? KÆN. Si tuis oculis credes, illud statim crediturus es. Apud eum enim hanc vocem illis statim ostendam. En tibi locum: eum lege. MIS. *Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis: quam rem nobilitas ægerrimè tulit. Quæso, reputate cum animis vestris num id mutari melius sit: ecquem* (sed margini *siquem* adscriptum est) *ex illo globo nobilitatis ad hoc aut aliud tale ne-*

gotium mittatis hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, & nullius stipendij: scilicet, vt in tanta re, ignarus omnium trepidet, festinet: sumat aliquem ex populo officij sui monitorem. Ita plerunque euenit, vt quem vos imperare iussistis, is imperatorem alium quærat. At ego scio, Quirites, qui postquam cons. &c. Totum libenter locum legi, quòd lectu sit dignissimus, ac eius tamẽ oblitus essem. quum alioqui (vt opinor) & vocabuli illius, vtpote valde notatu digni, recordaturus fuissem. Ideo autẽ lectu dignissimus est hic locus, quòd & nostrum seculum exempla suppeditet talis nobilium quorundam in homines nouos inuidiæ: quum illi sibi eam circa res bellicas prærogatiuam deberi arbitrẽtur. Iam enim aliquæ huius loci reliquiæ in memoriam redire incipiunt: inter quas est illa hominis noui appellatio. KÆN. Non falli te comperies, si paulo vlteriùs pergas. MIS. Vera loqueris. *Comparate nunc, Quirites, me hominem nouum cum illorum superbia. Quæ illi audire & legere solent, eorum partem vidi, alia*

di, alia egomet gessi: quæ illi literis, ea ego didici militando. Conueniunt autem hæc cum ijs quæ modò dixerat, *At ego scio, Quirites, qui* (non *quia*, vt quædam exempl. habent) *postquã consules facti sunt, acta maiorum, & Græcorum militaria præcepta legere cœperint: præposteri homines. Nam legere, quàm fieri, tempore posterius, re atque vsu prius est.* Omnino autem reijcienda est altera quæ affertur lectio *gerere* pro illo nostro *legere*. Verùm, quod attinet ad vocabulum illud *nouus*, scimus in Ciceronem quoque iactatum fuisse. (Estque obseruandum, non dici, *Comparate hominem nouum cum illorum nobilitate*: sed, *Comp. hom. nouum cum illorum superbia.* perinde acsi diceretur, cum illorum superba nobilitate.) At verò appellatio illa, qua de Catilina vtitur Porcius Latro (aut quicunque est illius declamationis autor) tam noua dici fortasse potest, quàm illam *noui* appellationem, dicere veterem possumus. Sed locum quærere illum & vobis recitare volo. KÆN. Gratiam tibi habebimus. MIS. Diu quæ-

rendus haud fuit. *Maiores olim nostri, sapientissimi homines & sine dubio grauissimi, num leges è Græcia per legatos suos accersendas esse putauerunt, quibus hanc imperij magnitudinẽ perpetuò stabilirent: vt tu, homo recens, seueritate illarum cum barbatulis tuis abutereris?* KÆN. Quod cum Porcij Latronis venia dictum sit, vix illum veniam à Lat. lingua de tali vsu vocabuli Recens puto impetraturũ. Tibi verò, Coronelle, quid videtur? COR. Voco certè in dubiũ hunc vocis huius vsum. KÆN. Acquiescésne cuidam meæ petitioni? COR. Nimium latè patet hæc interrogatio. KÆN. Illam restringam. dicam enim, Acquiescésne cuidam meæ super illa voce Prosapia petitioni? COR. Acquiescã, quatenus id facere potero. KÆN. Peto vt eius etymologiam me doceas. COR. Tam non possum acquiescere tuæ petitioni quàm verũ est istud,

Nemo, quod nescit, Marce, dolere potest.

KÆN. Dic saltem quid de illa suspiceris. COR. Esse dictum *prosapia* quasi προσαπωία, à πρόσαπω.

KÆN. A prosapia ad loquentiam veniamus.

niamus. COR. Quid hæc sibi volunt? KÆN. Ex te audire cupio an tuus stomachus ferre magis posset vocabulum *loquentia*. nam & illo vtuntur, ex eodem mutuantes. MISOK. Memini, id verbum à quibusdam ex illo afferri: sed memini etiam à quibusdam reijci, aliam vocem afferentibus, & in eius locum substituentibus. KÆNOPH. Quænam illa erat? MISOK. Eloquentia. KÆN. Non sum nescius aliquam esse de loco illo controuersiam, præsertim quum & altera hæc scriptura quæ substituitur, aliqua veterum exemplarium autoritate (vt aiunt) non destituatur: sed ipsam etiam vetustatem huic autoritati suam opponere respondebitur. MIS. In rem præsentem veniendum est. KÆN. Sic & ipse censeo faciendum. COR. Non procul abeundum erit, vt illum de quo agitur locum visatis. Dabo operam vt in illo statim vestigia ponatis. KÆN. Ad illũ iam peruenimus: & quidem Catilinæ ingenium illic describitur: atque inter cætera dicitur, *Cuiuslibet rei simulator ac dissimulator: alia-*

ni appetens, sui profusus: (ita enim legendum est, quamuis hîc *suis profusus* scriptum sit) *ardens in cupiditatibus: satis loquentiæ, sapientiæ parum.* Hæc editio margini adscriptam alteram illã γραφὴν *eloquentiæ* non habet: quũ tamen multas eã habere non inficier. MIS. Vtrãque igitur consideremus. Primùm hoc verisimile est, meo quidẽ iudicio, hæc quæ subiungit, *sapientiæ parum*, ita proximè precedentibus opponi vt ea velut destruant. KÆN. Non satis assequor tuam mentem. MISOK. Dico talem esse hanc antithesin, vt verisimile sit, laudem quam Catilinæ dederat prioribus verbis, per posteriora voluisse adimere: ideóque dixisse, *satis eloquentiæ, sapientiæ parum:* (quum alius dicturus fuerit, *satis eloquentiæ, sapientiæ parum habens:* vel ita loquuturus, mutata orationis forma, *satis in eo eloquentiæ, sapientiæ parum erat*) perinde ac si diceret, Dignus quidem laude aliqua, eloquentiæ nomine, sed illam eo amittens quòd nulla sapientia comitata foret. Existimo autem, eloquentiam talem canoras

ras nugas posse appellari. At si scribatur *loquentiæ*, non modò nulla erit antithesis, sed etiam superuacanea videri poterit illa adiectio, *sapientiæ parum*: quum nihil minus quàm sapientiam in homine loquaci requirere soleamus: vt etiam apparet ex eo quod vulgus aduersus multiloquium tanquã prouerbialiter iactat. Vnde & Homerus laudi hoc tribuit, οὐ πολύμυθος. Animaduertendum etiam est quod ab ipso Salustio de Catilina perhibetur, *Lucius Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi & animi & corporis*. Quomodo enim loquacitas cum magna vi animi aliquid conueniętiæ habere dici queat? KÆN. Iam mihi illud *loquentiæ* suspectum reddis. MIS. Nisi timerem ne, dum à Catilina loquacitatis (quam à Salustio loquentiam putant vocatam) dedecus amolior, ipse in illud incidere vitium dicerer: illis quæ dixi minimè contentus essem, verùm ab ea sententia qua scriptura illa *eloquentiæ* damnatur & ex illo Salustij loco eraditur, ad eos Salustij locos prouocarem, vbi loquętem ipsum

Catilinam inducit: eósque examinat. Kæn. Quidni verò hoc faciat? Mis. Veniam igitur ad eam Catilinæ orationem quam non procul ab initio Sallustius nobis proponit. *Nisi virtus fidésque vestra satis spectata mihi foret, nequicquam opportuna res ceciderisset, spes magna dominationis in manibus frustra fuisset.* (ita enim scribendum est, non, *spes magna, dominatio, in manibus frustrà fuissent*: Vt tamen plurimæ editiones habent) *neque ego per ignauiam*, (nisi fortè *ignauia* scripsisse Sallustium putandum est) *aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis & magnis tempestatibus vos cognoui fortes, fidósque mihi: eo animus ausus est maximum atque pulcherrimum facinus incipere: simul quia vobis eadem quæ mihi bona maláque esse intellexi. Nam idem velle atq; idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sed ego quæ mente agitaui, omnes iam antea diuersi audistis. Caterùm mihi in dies magis animus accenditur, quum considero quæ conditio vita futura sit, nisi nosmet ipsos vindicemus in libertatem. Nam postquam respub. in paucorum*

potentum

potentum ius atque ditionem conceſsit, &c. Nunc enim vlterius pergere nihil neceſse eſt: quum vel iſta ſufficere ad probandũ quod dixi videãtur. Quo enim proœmio magis oratorio & aptiore ad captandam talium ſociorum beneuolentiam vti quiſquam potuiſſet? Suſpicor autẽ, vocabulum *eloquentiæ* de Catalina dictum, ideo ſuſpectum fuiſſe, quòd in tam improbum hominem cadere eloquentia nõ videretur. Sed hoc eos latuit qui tam ſuſpicaces fuerunt, eloquentes omnibus ſeculis inuentos fuiſſe nonnullos, qui tamen ingenio malo prauóque eſſent? quale Catilinæ ingenium deſcribit Saluſtius. Nec interim nego, periculoſam in huiuſmodi hominibus fuiſſe ſemper iudicatam eloquentiam: idque iure optimo. Ac no illud quidem inficior, requiſiſſe multos in oratore vt eſſet vir bonus: quin etiam ſcio dictum fuiſſe, eloquentiam eſſe cunabula virtutis: ſed τὸ χρεῖον νικᾷ hîc quoque. Ad Catilinam autẽ quod attinet, tantum certè abeſt vt laude illa eloquentiæ indignum illum, ex ijs

quæ Saluſtius loquutum eſſe ſcribit, iudicare poſſimus, vt potiùs quod illo in loco eum adimentem ipſi audimus, alibi tribuere videri queat: ſapientiam inquam. Aut, ſi non ſapientiam, quandam ſaltē politicam (vt ita dicam) prudentiam. Scribit enim, eũm, quum montibus atq; copijs hoſtium ſeſe clauſum videret, in vrbe res aduerſas, neq; fugæ neque præſidij vllam ſpem: optimum factu ratum eſſe fortunam belli tentare. Quod capere melius conſilium in tali rerum ſtatu quiſquam potuiſſet? Ea autem quam habuit oratio nónne tantum eloquẽtiæ habet, vt nihil minus quàm ab homine metu vllo perturbato proficiſci videatur? Sed miror, Coronelle, te nulli huius diſceptationis parti iudicium tuum interponere. quid hoc ſibi vult? Cor. Me nunc opportunè compellaſti, quum iam ſilentium rumpere cogitarem: ac dicere, hoc ipſum mirari me, quòd Xænophilo mirum videatur, poſſe quædam eſſe pro Saluſtianis recepta & omnium ſermonibus trita, quæ tamen minimè

minimè sint Saluſtiana: aut saltem ſuſpecta & sint, & esse debeant. Reſpondè enim (quæſo) mihi Kænophile de iſto quod nunc ſe primum menti meæ offert loquendi genere, *munificentia animi*. KÆNOPH. Non recordor loci vbi ita loquitur. COR. Ad eum te ducam: ſi vis vnà ad bellum Iugurthinum proficiſcamur. KÆN. Volo. COR. Iam ad locum peruenimus: ibi Saluſtium, ſi Saluſtius ita ſcripſit, audiamus: (paulo autem altiùs ſermo eſt repetendus) *Igitur imperator omnes fere res aſperas per Iugurtham agere: in amicis habere, magis magiſque eum in dies amplecti: quippe cuius neq; conſilium neque inceptum vllum fruſtra erat. Huc accedebat munificentia animi, & ingenij ſolertia. Quibus rebus ſibi multos ex Romanis familiari amicitia coniunxerat.* Quid enim eſſe illud putas, *munificentia animi?* & quid erit Munificus animus? Neque enim dubium eſt quin ſi illud dici poteſt, hoc quoq; dicere liceat. Et quidem, ſiquis Saluſtium illud dixiſſe credit, non immeritò & hoc ab eo dictum eſſe creder.

Kæn. Ingenuè tibi fatebor, me hoc loquendi genere, tanquam Saluſtiano, haud ſemel vſum eſſe : at, quale eſſet, ne ſemel quidem conſideraſſe. Quid autem obſtat quominus, vt liberalitatem & munificentiam de vna eadémq; re dicunt Latini, quam in virtutum numero ponunt : ita etiam, vbi de animo dicitur liberalitas, ibi & munificentiam dicere liceat? Cor. Hoc obſtat, quòd ſicut liberalem animum, vel potiùs liberale ingenium dicunt Latini, non itidem munificum dicunt. Et verò munificentia ideo & liberalitas appellatur, quòd homini libero, minimèque prædito ſeruili ingenio, ſit conueniens. Kæn. Non paruum mihi ſcrupulum injicis. Sed quid in locum illius vocabuli *munificentia* ſubſtitui poſſe tibi videtur? Cor. Iſtud coniectura aſſequi, hoc opus, hic labor eſt. Si tamen aliquam coniecturam apud doctorum hominum iudicia periclitari licet, nullā vocē mihi in mentem venire dixerim quę magis aptè ſubſtitui poſſe videatur quàm *magnificentia*. Non ignoro alioqui,

qui, à Salustio dici alibi magnitudinem animi (quæ & vna voce composita *magnanimitas*, sicut à Græcis μεγαλοψυχία, nominatur) veluti in comparatione M. Catonis & C. Cæsaris, *Igitur ijs genus, ætas, eloquentia, propè æqualia fuere: magnitudo animi par, item gloria.* Ac in ijs quæ proximè sequuntur, habemus illam vocem *munificentia*, sed in recepto passim vsu. Scribit enim, *Cæsar beneficijs ac munificentia magnus habebatur.* Sunt alia, in quibus vereor ne multi dum se putant cum Salustio Latinè loqui, cum librarijs errent. Atque id de illo fortasse dici potest loco historiæ belli Iugurthini, vbi *ad imperandum* à Salustio dictum existimatur pro eo quod est, vt ei imperaretur. Quamuis enim haud desint grammatici qui lectionem illam agnoscant, alia tamen affertur, *ad imperatorem.* Quam quum nonnulli è coniectura tantùm profectam esse putent, alij vet. etiam exempl. autoritate niti aiunt. Verùm contingit etiam vt sub huius autoritatis prætextu nonnulla in quasdam editiones irrepant, quæ

qui in ſuum trãsferre vſum volet, dum ſe Saluſtianizare exiſtimabit, non ſolùm à Saluſtij Latinitate, ſed à totius Latinitatis pomœrijs longè euagabitur. Exempli gratia, in comparatione M. Catonis cum C. Cæſare, quædam editiones habent, *In altero miſeris profugium erat, in altero malis pernicies.* at in margine & *refugium* & *perfugium*. Sed is tamen qui hunc Saluſtij locum in illo vocabulo *profugium* imitabitur, non immeritò ab omnibus Latinitatis peritis ſubſannabitur. Sunt verò & nonnulla de quibus quamuis omnes editiones inter ſe cõſentiant, tamen haud periculo carere videtur Saluſtium in ijs imitari. Ex illis eſt verbũ *portẽdi*: ſi, tanquam Saluſtium imitantes, vtamur pro Adminiſtrari, ſiue Regi, aut Diſponi: vt vulgo exponitur in hoc loco hiſtoriæ de bello Iugurthino. *Poſtremò omnes ſocij atque hoſtes credere, illi aut mentem diuinam eſſe, aut deorum nutu cuncta portendi.* Quum autem vulgo verbum Portendi exponatur hîc verbo diſponi potius

tius quàm alterutro illorum quæ paulo antè proposui, contigit vt quarundam editionum margini illud ipsum verbum disponi, tanquam diuersa lectio, adscriptum fuerit. Obiter autem monebo & de hoc qui minimo interuallo præcedit loco, atque ad eundem sermonem pertinet, *omnia non bene consulta in virtutem trahebantur.* Quædam enim editiones pro illis verbis ista in margine habent, *verùm etiam casu data in virtutem trahebantur.* Atqui hæc adscribi debebant potiùs tanquam adijcienda, quàm in locum aliorum substituenda: sed tamen adiecta voce *modò*, aut *tantùm*: vt ita scribatur, *omnia non modò bene consulta, verùm etiam casu data, in virtutem trahebantur.* MIS. Exemplis à te propositis eorum quæ minimè imitanda tibi videntur, non dubito quin multa sis adiecturus, si fœcundum concutere pectus volueris. Atque vt ipse aliquod addam, miror an tibi placituri sint qui hunc scriptorem imitandum sibi censent in hoc genere loquédi, *In potestatem habere*, circa finem hi-

storiæ de bello Iugurthino, *quum talem virum in potestatem habuisset.* COR. Quēadmodum tu mirari te hoc dicis, ita ego me mirari dicam cur non vbique *in potestatem*, contra Latinæ linguæ consuetudinem, scriptum sit, sed alicubi etiam *in potestate.* MIS. Illam verò loquēdi formam, *Difficillimum in primis*, satísne putas esse Latinæ linguæ præceptis obsequentem? COR. Vix hoc mihi persuadere possum. MIS. Sic tamen loquitur idem in Iugurthino bello, *Ac sanè (quod difficillimum in primis est) & prelio strenuus erat, & bonus cōsilijs.* Quin etiam alibi, si bene memini. Quidam verò aliud multo magis mirum loquēdi genus ex eodem afferunt, *Primus in primis.* Sed falsò illi hoc adscribunt. Nam locus vnde affertur, est hic, *Leonem atque alias feras primus aut in primis ferire.* Non minore autem errore ex eodem scriptore affertur verbum *Studere* sequente pronomine *se.* Quasi verò à Sallustio dicatur *Studere se*, aut *Se studere*, ita vt pronomen huic verbo iungat. COR. Notabiliter sanè nepti sunt homines

homines (ne quid grauius dicam) qui hoc annotant: vt αὐτὸ τὸ πρᾶγμα δείξει. Ita enim ipse, *Omnes homines qui student sese cæteris præstare animantibus, summâ ope niti decet ne vitam silentio transeant.* In alijs autem exempl. verbum *student* præpositũ legitur, *qui student sese cæt.* Haud (inquam) cum verbo *student*, sed cum *præstare* iungitur pronomen geminatum sese. Est autem è secretiorum numero hic archaismus, per quem pronomen πλεονάζει. Sed nihil mirum fuerit si is cui hoc tantùm dictum fuit, Salustium verbo studeo pronomen adiungere, ita loquatur etiam, Ille studet se vt præstet cæteris hominibus: & interim non ἀρχαϊκῶς sed μωρολογικῶς loquatur. MISOK. Non audiueram antea, esse quosdam archaismos alijs secretiores. COR. Sunt tamen, vt ego in meo opusculo de prisco sermone Latino doceo. MIS. Quinam verò à te ad hanc classem referuntur? COR, Qui minus animaduertuntur, vel quòd rariores sint, vel quòd sint quædam loquendi genera in quibus vna tantum vocula totum discrimen

efficit. Tale est autem illud cuius antea mentio facta est, cui particula *quum* adhibetur, licet postea vocula *quòd* adhibita fuerit. Mis. Scire percupio quodnam illud sit. Cor. Recordor id exstare in principio orationis Syllę ad Bocchũ, *Rex Bocche, magna mihi est lætitia quum te, talem virum, dij monuere vti aliquando pacem quàm bellum malles.* Plauti enim & aliorum priscorum posteritas dixit *Magna est mihi lætitia quòd.* &c. aut, *Valde gaudeo quòd.* &c. Mis. Iam reminiscor, allatũ fuisse hunc ipsum locũ in phrasis huius exemplum: sed nunc in eo aliquid considero quod antea non animaduerti. Cor. Mihi videor assequi coniectura quidnam illud sit. Consideras enim (vt opinor) dictum esse *aliquãdo*, quum potiùs dici solitum sit, *aliquando tandem*. Mis ok. Parui hoc momenti atq; leue est, præ illo quod mihi in mentem venit. Cor. Haud satis mirari possum quídnam sit: si quidem est aliquid quod à te nõ in re sed in ipsa sermonis formula consideretur. Mis. Fateor id in re à me considerari. Cor.

Huius

Huius arcani mysterij fac me (quæso) conscium. MIS. Pro iocosis tuis verbis seria audies. COR. Ergo χρύσεα χαλκείων. Sed ô quàm efficax est verborum Homericorum genius: illa versum linguæ meæ statim immiserunt, quo à te quod peto facilius impetrarem. MISOK. Quem? COR. Istum,

Ἀ'νπὶ ἑμεῶν χαλκεῶν δὸς χρύσεα· σοὶ χάειν ἔξω.

At non video tamē quid obstaret quominus de serijs (præsertim si valde seria sunt, vt ego ariolabar) ita loquerer. MIS. Sed ironicus erat tuus sermo. KÆN. Propius accedo, vt meæ quoque aures illius mysterij fiant participes. MISOK. At ego te abigam isto hemistichio,

—— ἐκὰς ἐκὰς ἔστε βέβηλοι.

vel potiùs hoc,

—— ἐκὰς ἐκὰς ἔστω βέβηλε.

KÆN. Nescis quocum homine sit tibi res,

Stipitibus me vix abigas sudibúsque præustis.

COR. Dolco quòd longum tuum silentium nunc ruperis. iam enim scius

. essem

essem mysterij cuius sum nescius. Sed saltem in aurem id mihi dicito Misokæne. MIS. Considerabam, priscæ illi sermonis formæ adiunctam esse & quoddam (haud sanè paruum) priscæ pietatis testimonium. Nam ita loquitur, *quum te dij monuere.* Sed satius fuerit totum locum repetere: & quidem id faciam. *Rex Bocche, magna mihi est lætitia quum te, talem virum, dij monuere vti aliquando pacem quàm bellum malles.* Hîc certè verba ista, *dij monuere*, priscam pietatem (magnam præ pietate posterorum) sapiunt: & planè cum illo Homeri dicto conueniunt, — θεὸς ἔμβαλε θυμῷ. Cui similia dicta Herodotus multa habet. Omnino (inquam) illâ priscam pietatem (quanta in ethnicos cadere dici potest) redolent. Ac perinde est certè acsi diceretur, non fuisse fortuitam illam cogitationem Bocchi, quæ fecit vt tandem aliquando pacem bello præferret. Quis igitur illo sermone dignior ore Christiani inueniri potest, si tantùm deos in deum mutemus? sic certè Homerus, quamuis alibi & ipse

πολυθείαν

πολυθείαν agnoscens, nō dicit θεοὶ ἔμβαλον, sed θεὸς ἔμβαλε. Quod omnino respondet ei quod dicit nostra lingua, *Dieu luy a mis au cœur*. Sed rarum est hoc loquēdi genus, aut potiùs rarissimum. Sunt enim paucissimi, aut etiam pauciores paucissimis, quibus in mentem veniat ita loqui. Atque hinc fit vt quum in tale aliquod ethnici scriptoris dictum incido, cum animo reputem, Πολλοὶ ἐθνικοὶ ὄντε ἐν τῷ λόγῳ ἐχριστάνιζον, νυνὶ δὲ τοὔμπαλιν πολλοὶ χριστανοὶ ἐν τῷ λόγῳ ἐθνικίζουσι. COR. Pulchro sanè dicto pulchrum hunc sermonem tuum clausisti. KÆN. Magnam mihi, sed maiorem tibi, Misokæne, iniuriā fecisses, si hæc omnia sic in aurem Coronello dixisses, vt ad meam non possent peruenire. MIS. Cur me iniuriam facturum mihi fuisse dicis? KÆN. Quoniam mihi tua hæc pulchra consideratio & obseruatio admirationi non fuisset, vt certè est: nec laudem à me consequuta fuisset, vt iam consequitur, & cōsequutura est, quoties eius recordabor. Quinetiam facturus sum vt omne meum antiquariorum collegium eam

& admiretur & laudibus extollat. Duobus autem nominibus mira. illis erit hæc obseruatio: primùm, quòd infinitis loci huius lectoribus nihil tale obseruare in mentem venerit, ideóque ipsis (de meis collegis loquor) noua omnino futura sit: deinde quòd à te profecta sit, à quo minus exspectata quàm ab alio vllo fuisset: quoniam in Salustij laudem redundat, qui tibi, vt re quoq; misokæno, ideo minùs placet quòd antiquario eius stylo subest kænophilia. Mss. Ad illum eiusdem scriptoris locum à quo digressi ad hunc venimus, reuerti volo. Ad illum inquam à quo Salustij quæ exstant scripta, initium sumunt: & quum iam de vna in eum inepta annotatione monuerim, de alia monere nunc libet. Naminter genera loquendi Salustiana annotatum ab eodem fuit, *Transire silentio*, non adiecta voce alia: ita vt videri possit: esse dictũ pro eo quod ab alijs dici solet Silentio præterire: quum tamen illud Transire ponatur contrà pro eo quod & Transigere dicitur. Scribit enim, *ne vitã silen-*

tio transeant. Magis autem insolens videri cuipiam possit *Habere ætatem* pro Ætatem transigere, seu vitam transigere: circa finem huius præfationis, *& mihi reliquam ætatem à republ. procul habendam decreui*. Verùm paulo pòst dicit etiã *ætatẽ agere*: atq; ita & alibi loquitur. Sed ad illud præfationis seu procœmij principium vt redeã, ibi planè Salustianam habemus phrasin, *summa ope niti*. Nã & alibi dicit itidem, *cõtra eos summa ope nitebatur nobilitas*. Iam verò & *nisus* apud eũ legitur: sed in pleriſq; exẽplaribus deprauatum in *visus*. Locus is est in Iugurthino bello: *capite atq; pedibus nudis vti prospectus visusq; per saxa facilior foret*.

KÆN. Quis vnquam, Coronelle, credidisset, Misokænum adeo in hoc scriptore versatum esse? COR. Immo quis non credidisset, illum hunc etiam scriptorem euoluisse? sed non dubito quin noster de hoc scriptore longus sermo fecerit vt multorum quæ oblitus erat se apud hũc legisse memoriam recollegerit. KÆN. Animaduertistine illum vti etiam Salustiano genere so-

quendi? Cor. Nequaquam. Kæn. At ego animaduerti. Sed, dum abest ille, interrogaberis à me de quodam huius scriptoris loco, quẽ mihi in memoriam reduxit illud ipsum verbum Animaduerti. Is est in Iugurthino bello, *Vbi postquam solitudinem intellexit, more ingeny humani cupido difficilia faciendi animaduertit.* Mis. Nonne, Lupus in fabula, apud vos dicitis? nónne sermo de me erat? Kæn. Fuerat paulo antè, sed eum interruperamus. Mis. Persequimini eum in quo versamini: ne fortè excidat quod in mentem vobis venit. Vtrique hoc dico, quòd nesciam vter loqueretur. Kæn. Sermo mihi erat de quodam Salustij loco, vbi verbum *animaduertit*, aliarum duarum vocum sedẽ occupans, multũ negotij cuiuis facessere lectori potest: nisi quis sit OEdipus, qui suæ diuinationis auxilio veram lectionem in falsæ locum substituat. Apud eum enim in Iugurthino bello quædam exemplaria nobis legenda hæc exhibent, *Propè ad summum montis egressus est. Vbi postquam solitudinem*

rem intellexit, more ingenij humani cupido difficilia faciendi animaduertit. MISOK. Non quæram ex te quod sit vocabulum vbi hærere cogeris: (animaduerto enim esse illud *animaduertit*) sed rogabo te ne me diu suspensum teneas. haud enim sum ille quem tu inter lectores excepisti. KÆN. Scito igitur aliam esse lectionem, *animum vortit*. MIS. Non dubito quin germana hæc sit. Sed tamen mihi librum exhibe, vt attentiùs totum locum perpendam. KÆN. Accipe. MIS. Non solùm manifestum est mendosum esse illud *animaduertit*, sed patet etiam vnde natum sit hoc mendum. Minimo enim interuallo præcedit, *animaduertit inter saxa repentes cochleas*. Nimirum istud verbum hinc illuc, quum adeo paruum spatium sit interiectum, irreplit. Sed nónne in quibusdam editionibus substituta fuit vera illa lectio? KÆN. Fuit: sed antea multos altera cruciauerat. MIS. Fortasse in ijsdem scriptum est etiam *solitudinem esse intellexit*. Quinetiam suspicor in ijs legi, *propè ad summum montis*

progressus est. Ac eo etiam magis istud suspicor, quòd præcedat paruo interuallo *egressus*. Verisimile est enim librarium ad similem lapidẽ impegisse. Nisi ad eundem possum dicere: quum itidem vocabuli vicinitas (etiamsi non eiusdem) errandi occasionem præbuerit. Sed credísne *animam vortit*, non *animum vertit*, scriptum in fide dignis exemplaribus esse? KÆN. Quidni credam? MIS. Non reijcio illud *vortit*: sed miror, non etiam *faciundi*, potiùs quàm *faciendi*, à te dictum esse, quum sit verbum proximè præcedens. Illud *vortit* (inquam) haud reijcio, quemadmodum dixi. Nec enim sum nescius, priscum sermonem, sicut alijs pleriſq; vocabulis vocalem *o* adhibuisse, quibus postea *e* fuerit adhibita, ita etiam huic verbo. Vnde & *diuortium* in vsu mansit: quum alioqui *diuertium* dicendum esset. Nec me latet interim, *vortex* & *vertex* diuerso vsu scribi: ac multos existimare, non sine magno errore scribi *vertex* vbi ille vsus ei datur qui alteri voci *vortex* dari consueuit. Ac, quan-

quandoquidem in mentionem vocabuli huius Vortex incidi, non obliuiscar te interrogare, Coronelle, annon te aliquando audiuerim dicentem, Latinos significationem illam ei verbo dediſſe, Græcum ſermonem imitando. COR. Fieri poteſt vt audiueris. nec enim dubito quin tibi, ſicut & alijs quibuſdam, dixerim. MIS. Quódnam igitur eſt Græcorum vocabulum, quod imitati ſunt? COR. Non vnam habent Græci vocem qua id exprimunt. Dicunt enim & δίνλω & ἕλιγγον vel ἕλιγγα (ſiue ἴλιγγα, vt habent quidam loci) & συροφλῶ ὑδάτων. Quinetiã τροφάλιγγα (quod planè eſt poeticũ) de hac etiam re dixiſſe exiſtimantur. MIS. Vt verum fatear, illius tantummodo vocabuli δίνη recordabar. COR. Eius ſaltem oblitus non eras quod præcipuum eſt, & ſolutæ orationi cum carmine commune. Sed poetæ præſertim ſibi in vſu nominis huius indulſerunt, multa etiam epitheta ex eo deducentes. Nec enim tantùm δινήεις dixerũt, (cuius à δίνη formatio talis eſt qualis Latini vorticoſus à Vortex)

sed etiam εὐρυδίνης & βαθυδίνης: necnon ταχυδίνης, & oppositum ei βραδυδίνης. Mis. Nónne autem nomen δίνη à verbo δινέω est? atq; id pariter Verto sonat? Cor. Crediderim potiùs præcedere nomen illud δίνη: & inde non aliter factum esse δινεῖν, quàm si quis à vortice deduceret vorticare. Sed alioqui generaliùs pro Vertere alicubi poni scio. Mis. Vix audebam hanc interrogationem sermoni nostro interijcere: quam nunc valde gaudeo interiectam: & de hac audacia (si ita hæc mea τόλμα vocanda est) mihi gratulor. Hic enim παρένθεσις & πάρεργος sermo ad alia etiam nonnulla, ad linguæ Græcæ cognitionem spectantia, iudicium mihi acuet. Quam linguam quum naturæ quodam instinctu amem, multo tamen magis amo, quum tua præsentia tuóque frui colloquio licet. Kænoph. Parum abfuit (si verum fateri velis) quin dixeris πάρεργον hoc tibi gratius quàm ipsum ἔργον esse. Misok. Immo non eo vsq; progredior. hoc enim esset nostram disceptationem propemodũ floccifacientis.

Kæn.

KÆN. Paucula quæ, te absente, de te diximus (vt nos de te loquutos esse suspicatus es: quemadmodum tua verba ostenderunt) nequaquam te celare volo. MIS. Non tam libenter à te dicentur, quàm à me libenter audientur: sed tamen aliquid à me priùs dici, permittas velim. Alioqui enim è memoria elaberetur. KÆN. Hoc non lubenter tantùm, sed lubentissimè, permittam. MIS. Quamuis credibile sit Salustium ita scripsisse, *animum vortit*, non *vertit*, atq; ibidem *faciundum*, non *faciendum*: (subabsurdum enim videri possit, in vno ἀρχαΐζειν, in altero non item: præsertim quum hæc non vicina tantùm sed contigua sint) mihi tamen non placent isti qui hodie ita scribunt: siue tu illos voces antiquarios, siue quouis alio nomine appelles. Ac (nequid dissimulem) opportunè tibi duo vocabula in mentem simul & os (tanquam se quoque profiteri antiquarium volens) venerũt, quum iamiam illa ora antiquaria eadẽ de re essem reprehensurus. Si tamen reprehendere est, ea displicere mihi fa-

teri. KÆN. Quænam sunt illa? MIS. Non recordaris me quidem *libenter* bis dixisse, at te statim post & *lubenter* & *lubentissimè* dixisse? KÆN. Iam reminiscor: sed quum tu opportunè in mentem simul & os mihi venisse dicas, ego contrà inopportunè aut etiam inopportunissimè venisse dico: quum hoc nihil aliud foret quàm reprehensioni tuæ iam paratæ se offerre: quam alioqui vitatura fortasse alio tempore erant. Sed tamen hoc mihi negare non potes, Lubenter passim occurrere, non minus quàm Libenter: quemadmodum etiam Lubet, non minus quàm Libet. MIS. Hoc tibi inficiari nec possum, nec volo: sed nobis, quo longius à prisco seculo recessimus, eo magis ad posteritatis consuetudinem accedendum esse aio. Verùm, vt de hoc taceam, cur Lubet & Lubenter, & tamen non itidem Lubido & scribitis & pronuntiatis? KÆN. Hoc & ipse mirari me dico. MISOK. Dicere se mirari, nequaquam est rationem reddere. Sed fortasse tibi paulo pòst veniet in mentem quod respondeas:

deas: interim verò ad illa velim te venire quæ fateri volebas de me absente à vobis dicta esse. KÆN. Id faciam: & quidem more Homerico. MIS. Nescio quem hîc intelligas morem Homericum. KÆN. Vt in referendo sermone alicuius eadem verba adhibeantur. MIS. Tanto magis bonæ esse fidei dici & potest & debet illa relatio. KÆN. Crede mihi tam bonæ fidei meam esse futuram: exceptis tamen pauculis verbis, sed quæ minimè ipsam sententiam immutent. Quum ego Coronello ita loquutus essem, Quis credidisset vnquam, Coronelle, Misokænum nostrũ adeo in hoc scriptore versatum esse? (hic autem scriptor est Salustius, vt nosti) respondit ille, Immo quis non credidisset, illum hunc quoq; scriptorem euoluisse? Quinetiam addidit, sibi minimè dubium esse quin noster de Salustio longus sermo multa Salustiana in memoriam illi reuocasset. Tum verò subiunxi, Animaduertistine, illum Salustiano etiam loquendi genere esse vsum? Quum ille se animaduertisse ne-

gauisset: tum, dilato sermone illo, seu potiùs interrupto, ad illum Salustij locum venimus, cuius verbum Animaduerti faciebat vt reminiscerer: ac cuius emendationem & audisti & probasti. Quúmque vltra ipsum Salustij locum minimè progressus essem, tu superueniisti. MIS. Sicut ista bona fide à te narrata esse ais, ita & de hoc bona fide mihi responde: quódnam loquendi genus Salustianú meo sermoni adhibuerim. Immo iam responsum tuum nihil moror: quum satis recorder quódnam illud sit. Memini enim me dicere. Nouum hominẽ. Sed valde fallor: nam tu phrasim quampiam Salustianam significare vis: intelligens id de verbo (vt grammatici loquuntur) alijs vocabulis iuncto, quę ad alias pertinent orationis partes: aut saltem alij vocabulo, quod sub alia orationis parte censetur. KÆN. Meritò hanc tuo sermoni epanorthôsin adhibes. Nam, prętер illud quod ais, dicere Nouus homo, non est magis Salustianizare quàm Ciceronianizare. MIS. Dic igitur (obsecro) quod ἐπ@. Salu-

Saluſtianum mihi φύμεν ἔρκος ὀδόντων. KÆN. Bona verba, quęſo. Futurum enim opinor vt illius ſermonis te non pœniteat, & tibi excidiſſe non dicas, quum quodnam ſit ex me audieris. MISOK. Ne igitur differro. KÆN. Quum illud principiũ orationis Syllæ ad Bocchum laudibus extolleres, & tale quid in eo haberi diceres quale eſt illud Homericum, θεὸς ἔμβαλε θυμῷ: dixiſti inter cætera, eſſe pauciſſimos, aut etiam pauciſſimis pauciores, quibus in mentem veniret ita loqui. Atque hinc fieri vt, quũ in tale aliquod ethnici ſcriptoris dictum incideres, cum animo reputares, Πολλοὶ ἐθνικοὶ ὅτε ἐν τῷ λόγῳ ἐχρισπάνιζον, νυῦ δὲ τύμπαλιν πολλοὶ χρισιανοὶ ἐν τῷ λόγῳ ἐθνικίζουσι. MIS. Fateor me ita loquutum eſſe: & huic confeſſioni iſtam addo, me in laudatione Saluſtiani loci velut gratificari Saluſtio voluiſſe, vtendo hac eius phraſi. KÆNOPH. Non tamen ea vſurus eras ſi tibi diſplicuiſſet. MIS. Hoc etiam fateor. KÆN. Aliqua igitur Saluſtiana loquendi genera tui ſunt palati. MISOK. Quidni? Sed non omnia quæ

sunt mei palati, sunt etiam mei stomachi. KÆN. Quid hoc sibi vult? aliquid igitur discriminis inter illa duo ponis. MISOK. Et quidem multum: etiamsi vulgò dici soleat aliquid non facere ad stomachum, quum displicet. KÆN. Es fortasse κακοστόμαχος: atque hinc fit vt quæ tuum palatum non offendunt, sed contrà ei grata sunt, tuum stomachum offendant. Verùm, vt προπολογεῖν desinamus, dicito mihi, quæso, quid in causa sit cur tibi Salustij quædam displiceant. MISOK. Vt verum tibi fatear, pauca sunt quæ mihi displiceant, nisi quando eius sermo cum aliorum quorundam sermone confertur. KÆNOPH. Potésne aliquod exemplum afferre? MIS. Haud possum: sed potero si eius scripta mihi exhibueris. KÆN. Accipe. MIS. En tibi iam exemplum, *Corrumpere spes suas*, pro eo quod ab alijs dicitur, Frustrari sua spe. KÆN. Locum recita quæso; & vide ne fallaris. MISOK. *Si verum aperiat, in fide & clementia populi Romani magnam spem illi sitam: sin reticeat, non socijs saluti fore, sed se suásque spes corrupturum.*

KÆN.

KÆN. Si diligenter hanc phrasin considéres, animaduertes, Corrumpere suá spem (etiamsi plurali ille vtatur) non dici simpliciter de eo qui frustratur sua spe, sed de illo qui male rebus suis consulendo facit vt spe frustretur. Actibi animaduertendum est præterea, Salustium quæsiuisse verbum quod & de persona & de re simul dici posset. MIS. Me iam in tuam sententiam propemodum adducis. KÆN. Ab eodem dicitur *Corrumpere opportunitates*. Locus est in Catilinæ coniuratione: quem facilè inueniam. Audi, *Inter hæc parata atque decreta, Cethegus semper querebatur de ignauia sociorum: illos, dubitando & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere: facto, non consulto, in tali periculo opus esse.* Quemadmodum aliquis dici potest frustrari sua spe, qui tamen dici non debeat illam corrupisse, quòd rebus suis non male consuluerit, aut prospexerit seu prouiderit: sic etiam aliquis opportunitatem dici queat amisisse, qui tamen sua eam culpa non amiserit. At quem dicimus opportunitatem suam

corrumpere, ille sua culpa eam amiserit necesse est. Nunc igitur vide, si hac Salustiana phrasi velis abstinere, qua possis alia Salustij mente efferre. MIS. Cogitandum est. KÆN. Hoc saltem iam fateris, esse rem quæ cogitationem requirat, non quæ menti in promptu esse queat. Quid si verò post cogitationem etiam, & quidem vel longiusculam, ad illud quod à Salustio oblatum recusaueris tibi sit redeundum? MIS. Tua hæc verba sunt metum incutere volentis: quum tamen à cogitatione (qua mihi opus esse dixi) alienus sit metus. KÆN. Cur mea sic verba interpretaris? MIS. Non absque causa sic interpretor. Perinde est enim acsi diceres, Quid si post cogitationem, & eam quidem nō breuem, ad illud quod à Salustio oblatum rēcusaueris tibi sit redeundum, ille verò recuset quod obtulerit? KÆN. Si hoc dicere pergas, audebo dicere glossam AVrelianensem esse: de qua nobis sermo horis matutinis fuit. MIS. Inter istas quas meæ menti das turbas, cogitaui tamen dici posse, Deesse opportunitati, vel

ti, vel potiùs Labefactare opportunitatem, KÆN. Quid? Labefactare & Corrumpere, nónne cognata in multis loquendi generibus sunt vocabula? MIS. Sicut fateor esse cognata, ita mihi fatearis necesse est multo plus gratiæ habere illud Labefactare. KÆN. Nullus erit nostræ disceptationis finis si ad talem obiectionem descendatur. Atq; adeo ad Salustium ipsum tandem veniendũ esset, vt ex eo sciretur cur illud plus habere gratiæ non existimasset. Verùm & proprietatis facienda esset mentio: de qua ille fortasse tam multa nobis incognita loqueretur, vt posset dici nos ἀποδεῖξαι παῖδας. Interim verò credibile est nõ sine causa delectatum fuisse hoc verbo Salustium. MIS. Estne illi familiare? KÆN. Est sanè perfamiliare (quicquid illud sit propter quod eo gaudebat) & quidem cum alijs etiam accusatiuis. Recordor porro & loci, vbi Corruptam rem (male autem quædam exempl. Correptam rem habent) de corrupta rei opportunitate dicit: seu potiùs de re quæ ideo non successit, quòd

illiquibus mandata erat, officio suo defuerint. Hîc considera (obsecro) quàm sit prægnãs hoc loquendi genus: quum, vt exponatur, in tam multa resolui verba necesse habeat. MIS. Sed non minùs Labefactata res eo dici sensu posset. KÆN. Existimo, Salustium hoc potiùs quàm alio esse verbo vsum; quòd & in proprio & in metaphorico vsu, Græco διαφθείρειν responderet. Nã Græci verbo διαφθείρειν nõ tantùm dant eum vsum quẽ Latini extra metaphorã tribuunt verbo Corrumpere, & nominatim Salustius: (velut in Iugurthino bello, *Ibíque vino & epulis onerati, illáque*, videlicet aurum & argentum, & alia quæ prima ducuntur, *& semet igni corrumpunt:* quum etiam dixisset paulo ante, *præda omnis à perfugis corrupta est*) sed metaphoricum pariter. Nam διαφθείρειν vel sine adiectione vel adiecto itidem nomine πνεὶ de rebus varijs, quinetiam διαφθείρειν τὰ πεζήματα dicunt, aliísq; huiusmodi accusatiuis iungunt. Enimuero longiores in examinando isto genere loquendi sumus. MIS. Hoc certè fecit

tè fecit vt quorundam quæ de loco illo vnde est depromptum, dicturus eram, oblitus sim. Ad locum illum redeundum mihi est: simul fortasse in memoriam illa redibunt. KÆN. Verisimile est ita euenturum: ideóq; ita faciendum censeo. MIS. *Inter hæc parata atque decreta, Cethegus semper querebatur de ignauia sociorum: illos, dubitando & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere: facto, non consulto, in tali periculo opus esse.* KÆNOPH. Nónne euenit quod sperabamus? MIS. Omnino. Recordor enim duorũ quæ dicturus eram. Vnum erat, me mirari, non potiùs *protelando* quàm *prolatãdo* hunc antiquarium scriptorem dixisse. Alterum autem, (quod multo maioris est momenti, vtpote in rem ipsam quæ dicitur, non in verba quibus dicitur, inquirens) hoc erat, quidnam sentiendum de hac sententia esset, *Facto, non consulto, in tali periculo opus esse*: an eam aduersari iudicandum esset illi ipsius Salustij dicto, *Antequam incipias, consulto, &, vbi consulueris, maturè facto opus est.* KÆN. Res noua & ca-

rens exemplo non esset, referri ab historico dictum alicuius quod suo sit contrarium: hac tamen de re tacentem, nimirum de hac cum suo dicto repugnantia. MIS. Ita se res habet. Excipio tamen Polybium. nam (si eum bene noui) vix, vbi tale quid occurreret, tacere potuisse arbitror. Sed fortasse, si omnia bene considerentur, illam repugnantiam non inueniemus. KÆN. Vt tu Polybium inter historicos excepisti, quod ad illum eorum morem attinet, sic exceptione hîc vtendum crediderim. MIS. Quænam illa est? KÆN. Vt quædam excipiantur è numero eorum quæ facienda, nisi præeunte consultatione, non sunt. MISOK. Iam fere ad tuam accedo sententiam. Illa autem quæ excipienda iudicas, erunt ea de quibus dici potest, non tantùm esse periculum in mora, sed summum esse periculum, propter quod iacienda sit alea. Conueniet autem hoc cum illo dicto, *Nunquam periculum (præsertimque magnum periculum) sine periculo vincitur.* KÆN. Quod de alea iacienda dixisti, fe-

cit vt

cit vt loci huius scriptoris recordarer, vbi rem quandam narrat, melius forte (vt ipse loquitur, ita fortunam appellans) quàm consilio gestam. Ideo autem mihi venit in mentem illud dictū, quòd res quæ fortunæ committi dicitur, etiam aleæ committi dicatur. Audimus porro Salustium & in præcedentibus, nimirum initio huius sermonis, ac paulo ante quàm illa de forte, id est fortuna, dicat, ijs quæ bene consulta sunt ea quæ casus dedit opponentem. Eius verba recitabo, *Postquam tantam rem peregit Marius sine vllo suorum incommodo, magnus & clarus antea, maior & clarior haberi cœpit. omnia non modò bene consulta, verùm etiam casu data, in virtutem trahebātur.* Eodem pertinet quod alibi legimus, de Mario, *anxium trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat: an fortunam opperiretur.* Eodem spectat denique & hic locus, *Speranis, diducta manu hostium, aut vi aut dolis sese casum victoriæ inuenturum.* Sed in quibusdam exempl. vox *casum* in *causam* deprauata fuit. MISOK. Hæc certè

omnia cum illo dicto conuenire, aut saltem cum eo aliquid habere commune videntur.

KÆNOPH. Sed tibi, Misokæne, hæc Sallustij scripta interim euoluenti, quidnam occurrit quod displiceret? MIS. Traho cum animo meo quid respondere debeam. KÆN. Quale istud Trahere est? MIS. Iam te captum teneo. Nam quod tu ab ore meo profectum rides loquendi genus, & admirareris & laudares si pro Sallustiano agnosceres. KÆN. Non tam bene támque sæpe omnia loquendi genera Sallustiana intueor, vt eorum quodlibet primo aspectu possim agnoscere: sed tamen de hoc dicere non dubitem, dubitare me an Sallustianum sit. MIS. En tibi locum: *At Marius, multis diebus & laboribus consumptis, anxius trahere cum animo suo, omitterétne inceptum, quoniam frustra erat: an fortunam opperiretur, qua sæpe prosperè vsus erat. Quæ quum multos dies noctésque æstuans agitaret.* &c. Iámne dicere audebis te dubitare an Sallustianum sit istud loquendi genus? KÆN. Non equi-

equidem. Sed paulo tamen aliter à te dictum fuit, *Traho cum animo meo quid respondere debeam.* MIS. Diuersum hoc est, scilicet, ab illo, *Trahere cum animo suo, omitterétne inceptum.* Verùm & in ista quæ proximè præcedunt inquiri fortasse posset: *multis diebus & laboribus consumptis.* Obiter autem de hoc monebo, videndũ esse annon scribendum potiùs sit, *fortunam opperiretur, qua sæpe prospera vsus erat.* Pro quibus aliùs quispiam hæc dixisset, *fortunam opperiretur, quam sæpe prosperam expertus erat.* KÆN. Magis & mihi illud *prospera* arridet: sicut Græci ἀγαθὴ τύχη χρῆσθαι dicunt, siue χρηστὴ τύχη χρῆσθαι. Atq; itidem in illis quæ proximè sequuntur, habemus Græci sermonis imitationẽ. Dicit enim, *Quæ quum multos dies noctésque æstuans aquaret.* Græci quippe eodẽ modo κυμαίνουσαν ψυχὴν dicere consueuerunt: sicut vicissim ἀκύμαντον, siue ἀκύμονα, eam quæ tranquilla est. MIS. Vix tandem habitura est quidquam egregium Latina lingua quod non Salustianum sit: adeo huius scriptoris stylum admirabil m & mo-

donon venerabilem mihi cupis reddere. Verùm, etiamsi illud *æstuans* ab eo profectum esset, tamen eum in hoc imitari illam Græcorum κυμαίνουσαν ψυχὴν, minimè rationi consentaneum est dicere. Nam *æstuans* hîc est ab *æstu* ardorem significante. KÆN. Valde falleris si hoc credis. MIS. Quod credo hac de re, scio & ab alijs multis credi. KÆN. Scito igitur alios multos tecum falli. Nec verò longè abeundum est, vt erroris conuincaris. A Virgilio non discedemus. apud eum enim scis legi, — *magno curarum fluctuat æstu.* Nisi fortè & hîc ardorem curarum intelligendum esse existimas. MIS. Ergo è duobus illis de quibus tibi aduersabar, in altero tantummodo manebo tibi aduersarius: nimirum illud *æstuans*, Salustianũ minimè vocari debere, quum Salustio multis cũm alijs scriptoribus commune sit. vel potius, multis scriptoribus cum Salustio sit commune. Verùm, vt tibi gratificer, alia tibi dabo loquendi genera quæ tam Salustiana esse puto vt non libenter illis vsu-

rus sim. Nec tamen interim à verbo illo Trahere sermo meus recedet. KÆNOPH. Qualis hæc tua gratificatio futura est, si ea mihi afferes quæ tuis auribus minimè grata esse fateris? Talia enim ea loquendi genera sint necesse est, quum te non libenter ijs vsurum esse profitearis. MISOK. Audi tamen quænam illa sint. Vnum est, Trahere animis: alterum est illud, Trahere in virtutem. Vt de priore prius dicam, audi me quendam è bello Iugurthino recitantem locum, quem minimo interuallo excipit Marij oratio. *Sed ea res frustra sperata: tanta libido cum Mario eundi plerosque inuaserat: sese quisque præda locupletem fore, victorem domum redituram. Alia huiuscemodi animis trahebant: & eos non paulum Marius oratione sua arrexerat.* KÆN. Si me in hoc Trahere hærere dicam, fatebor tibi ingenuè vt se res habet. Sed quid si mendosum esset? MIS. Minimè verisimile est. Quod enim vocabulum Latina lingua habet, sono vicinum huic, & cuius significatio conuenire huic loco possit? KÆN. Absimile

verò nõ est, alludere voluisse Salustium ad illud alterum loquendi genus, Trahere auribus: vt perinde sit acsi dicerer, Non auribus, sed animis (quod multo maius & periculosius est) trahebant. MISOK. Nequaquam mihi id quod affers satisfacit. KÆN. Ipse mihi certè parum satisfacio. Nec verò alicuius loquendi generis Græci venit in mentem, cuius exemplo dictum hoc videri possit. Sed quod attinet ad verbum *arrexerat*, proximè sequens, non dubito quin imitetur in eo vocem Græcam μετεωρίζειν. id est, metaphoricum eius vsum. MISOK. Venio ad alterum illud, vel potiùs tertium illud Trahere. *Postquam* (inquit) *tantam rem peregit Marius sine vllo suorum incommodo, magnus atq; clarus antea, maior atq; clarior haberi cœpit: omnia non modò bene consulta, verùm etiam casu data, in virtutem trahebantur.* KÆN. Non video cur tibi durius videri debeat istud loquendi genus, quàm quum dicitur Aliquid in religionem trahere. Vtitur porro & alio vocabulo, (quod alioqui eiusdem generis est

ris est, sed mollius: vel potiùs minimè durum: quemadmodum esse illud fatendum est) vbi dicit, *Ne quis modestiam in conscientiam duceret.* Est autem loquēdi genus breuitati (cui studet hic scriptor) valde accommodatum. Perinde est enim acsi diceret, Ne, dum præ modestia reticerem, aliquis contrà meam reticentiam ex conscientia nasci existimaret. Id est, Aliquis hoc à me ideo fieri interpretaretur quòd essem mihi conscius. Nam totus locus est hic, *Sed in maximo vestro beneficio quum omnibus locis me vósque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modestiam in conscientiam duceret.* Tribuuntur autem Mario hæc verba, in oratione illa cuius principium est, *Scio ego, Quirites.* MIS. Ego breuitati huius phrasis condono eam quæ illi alioqui subest σκληρότητα: verùm de altero, quod allatum ante hoc fuit, nequaquam dici idem potest. Neque enim breuius est, *in virtutem trahebantur*, quàm Virtuti accepta ferebantur. Vel, virtuti imputabantur. KÆN. Videtur significantius esse illud, *in virtutem*

trahebantur. MIS. Tibi, Kænophile, ita videtur, quatenus re quoque es kænophilus.

KÆN. Illa saltem phrasis, *cum animo reputare*, de prærogatiua quadam se iactare potest, quòd adeo tibi non displicuerit vt etiã vti ea dignatus sis. Quid? nónne cognatas eius eodem honore dignaturus es? MIS. Quæ sunt? KÆN. *Agitare cum animo*, & *Apud animum statuere*. Debent certè vel hoc nomine tibi omnes placere, quòd Græcam vocẽ νόημα exprimere & repræsentare videntur: præsertímque illæ duæ priores. Sed tamen οὐκ ἐμὸς ὁ λόγος: immo est Coronelli: qui ita huic nostro sermoni interest, vt abesse videatur. Nam mens eius peregrinatur, non tamen ἐν Κλωσσῇσιν. Quod igitur ea de re dicam, aures tuæ meo ex ore, tanquam è riuo, hauriant: verùm ea conditione vt postea, si opus sit, ad ipsum fontem recurrant. Dicebat igitur ille, non absimile vero esse, cum qui primus hoc genus loquẽdi excogitauit, Reputare cum animo, aut Agitare cum animo, respexisse ad vocem

vocem σύννους (vt in multis, vel potiùs in plurimis exprimendis, Latinum sermonem velut effigiem Græci habere constat) quæ significantissima est. Arbitrari enim se, quum σύννους vocetur is qui in alta seu profunda quadam cogitatione versatur, seu in profundis cogitationibus, & totus in ea est, aut in ijs est (quem valde cogitabundum appellare, vix est vim Græci vocabuli exprimere) ita dici quòd totus sit σὺν νοΐ. Quã vocem alioqui, extra compositionem, per synæresin efferunt, dicentes νῷ. Tale autem est (addebat ille) esse σὺν νῷ, siue esse σὺν ἷῷ νῷ, quale futurum esset παρὰ τῷ νῷ: si illi protheſi daretur is vsus quem habet quum dicitur aliquis παρ' ἑαυτῷ νοεῖν, vel λογίζεσθαι. Ac tale esse apud Latinos Secum cogitare, vel Secum reputare. Salustium tamen magis illud σὺν τῷ νῷ λογίζεσθαι expressisse (cuius phrasis materiam in σύννους habere videmur) quum dixit Cum animo reputare, vel Cum animo agitare. Neque illum interim ab vsu illius Secum, aut Mecum, abhorruisse. Huius autem sermonis

velut corollarium illi erat verbum συνοᾶν, necnon συμφρονεῖν (in certo quodam, qui minus frequens est, vsu) tanquam præpositione & hîc illam vim habente. Mis. Hoc tibi nemo, vt opinor, negauerit, quin illi phrasi Saluſtianæ (si eam ita vocare licet: tanquam Saluſtius vſu frequente ſuam effecerit quæ alioqui ſua non fuerit, ſed quam mutuatus ſit) ea ſit quam dixiſti cum illo vocabulo Græco conuenientia. Addo alioqui, ſi illud fixum immotúmque maneat, eũ qui illius Græcæ vocis fictor fuit, eò quò dixiſti (verbis tamen Coronelli) in eius compoſitione reſpexiſſe: vt ipſe quidem mihi perſuadeo. Ad ipſum autem Saluſtium quod attinet, quem titulo principis antiquariorum honeſtauiſti, minimè negauerim habere eũ quædam quorũ nouitas tolerari queat. Sedenim illa nouitas quæ tolerabilis eſt, non deſinit interim eſſe nouitas. Atqui nouis quid opus eſt ſiue verbis, ſiue loquendi generibus, vbi vetera ſuppetunt? Kæn. Illa nouitatis appellatio te ludificat. Mis. Quo illa modo me

do me ludificatur? KÆN. Dum facit vt tibi, fidem sibi habenti, ea quæ vetera sunt, noua videantur. Alioqui enim sæpe contingit vt voces quæpiam seu phrases eatenus demum vocari nouæ possint, quatenus sunt insolētes: vtpote ex obsoletis in vsum reuocatæ. Atque, vt cōparatione, quæ mihi videtur perappositа, vtar: finge venire ad te quempiam eo vel palliatum vel tunicatum modo qui maioribus nostris in more fuit: nónne hunc vestitum, quamuis maiores eo vsos esse scias, nouum esse dices? MIS. Dicam equidem: sed nouum esse eius vsum intelligens. KÆN. Quidni itidem illam tu Latinitatem sic nouam appelles, vt nouum eius esse vsum, id est reuocatum, intelligas? MIS. Mens tua mihi nota erat, etiam si nullā sermoni tuo comparationē adhibuisses. Ac non esse mihi hac in re aliam mentem à tua, ex eo animaduertere potuisti, quod paulo ante adieci tanquam per ἐπανόρθωσιν, quum phrasin eā de qua multum diúq; disseruerāmus, vocassem Salustianam. KÆN. Sed illud

ipsum vnde hoc animaduertere poteram, non animaduerti.

Mis. O QVAM opportunè te nobis reddis, Coronelle. Cor. Quid ais? méne vobis abstulerã? aut subtraxeram? vel etiã furtiuratus eram? Kæn. Hoc certè est Misokæni sermonẽ propalam in crimen trahere: quò tamen minimè trahendus est. Cor. Scio non esse illuc trahendum: sed scio pariter, esse aliquando iocandum. Quamuis autem aliquantulo disiunctus à vobis essem interuallo, & quendam librum, in quo loci aliquot mihi quærendi erãt, euoluerem, vix sermonum vestrorum vllus aures meas præteruolauit: vix etiam vllus è memoria mea euolauit. Præsertim autem sermo à vobis postremò habitus & purgatis auribus & attenta mente à me est receptus. Atque, vt me vera loqui cognoscatis, carmen quoddam meum proferam, quo quæstioni illi propositæ respondetur. Mis. Hoc si feceris, statim id quod dicis de data sermonibus nostris opera (quamuis peregrinari aures tuæ viderentur) persua-

persuaseris. COR. Statim igitur persuasero. Ecce enim vobis carmen illud,

Antiquaria secta quæ vocatur,
Cur hoc nomen habet, rogas frequenter,
Quum sermo nouus adlibescat illi.
Soluendus (puto) nodus iste sic est:
Antiquaria sit vocata quamuis,
Multa quæ noua sunt habere gaudet:
Quæ nobis noua sunt, & esse possent
Antiquis noua, si reuerterentur.
Turba diceret hæc enim cachinnans,
Hic sermo nouus auribus fuisset
Nostri secli etiam. Rogatis eccur?
Nam quæ sunt semel obsoleta facta,
Illorum nouus vsus est deinde.

MIS. Hoc tuo carmine non id tantùm quod promiseras, sed aliud etiam, præstitisti. Non enim solùm illud de quo dubitabamus persuasisti; sed etiã quæstionem à me propositam soluisti: & ita quidem vt Kænophili solutionem confirmaueris. COR. O quantus mihi paulò ante hunc sermonem risus subortus est, (quem vos non animaduertisse miror) quum Kænophilus quidem dixisset, *Illa nouitatis appellatio te ludifi-*

cat: tu verò excepisses, *Quo illa modo me ludificatur*? illo antiquariè scilicet loqui volente, te verò aut antiquariâ vocem non agnoscente, aut nullam antiquario stylo autoritatem hîc tribuente: sed (quod mihi fit magis verisimile) excidisse ei illud verbum existimãte. MIS. Ego certè antiquarios istos suum tam graue superciliũ ad hasce minutas obseruationes demittere non existimabã: ideóque illud Ludificat pro Ludificatur illi excidisse (vt fit) vel suo Ludificat, ludos me facere velle putabam: tánquam, quicquid dixisset, pro pura putáque Latinitate habiturum, miniméque suum errorem animaduersurũ. Est sanè puræ putæque Latinitatis illud Ludificat: si Salustiana omnia ex ea sumpta esse credendum est. MIS. Itáne Salustium Ludificat quàm Ludificatur dicere maluisse? COR. Ita se res habet: si tamen exemplaria non mentiuntur. Legimus enim in bello Iugurthino, *ita belli modò, modò pacis mora consulem ludificare*. MIS. Sed quid si exemplaria mentiantur? COR. Regerent tibi an-

bi antiquarij. Quid si exemplaria non mentiuntur? Idem verò & de verbo Comperior pro Comperio apud eundem scriptorem exstante dicendū est. Legimus enim in eadem Iugurthini belli historia, aliquot pagellis post eum quem attuli locum, *Sed in ea difficultate Metellum non minùs quàm in rebus hostilibus magnū & sapientem virum fuisse comperior.* Ita enim scriptum est in exemplaribus quæ fide digniora existimantur. MIS. Antiquariorum igitur esse dicendum est, sicut è passiua voce actiuam, ita ex actiua passiuā facere. COR. Dicam quod multo plus est, multóque latius patet, esse antiquariorum (nostri præsertim seculi, sed antiquos antiquarios se imitari dicentium) in sermone Latino quadrata rotundis, & rotunda quadratis mutare. MIS. Sed nónne hoc præsertim tibi putidum in illa antiquariorum natione videtur, eos nouitatis gratiā ex re etiam leui consectari? COR. Non gratiam solùm sed honorem quoque illa antiquariorum secta ex ista circa res tam leues noui-

tate consectatur. Verùm, vt in illo ipso nouitatis genere maneat nunc sermo noster, scio esse quosdam ex illis antiquarijs qui Puniri, actiua significatione, nõ Punire, perpetuò scribant: quòd ex quodam Ciceronis loco afferatur. Ad illud tamen Ludificare quod attinet, eo me aliquãdo vsum esse cõfiteor.

Mis. Hoc alij de te dicenti vix crediturus eram. Cor. Immo facilè credidisses, si, cui loco illud adhibuissem, additum tibi ab eodem fuisset. Mis. Cuinam igitur loco adhibitum à te fuit? Cor. Epigrammati, & quidem iocoso. Mis. Nonne id mihi recitare dignaberis? Cor. Immo, nónne id audire dignaberis? Mis.

Illa Coronelli si audire haud carmina digner,
Illa ego dedignans, merito me haud digner honore.

Cor. Carmina dicis, quum tamen vnum tantummodo sit carmen: ne fallaris. Aciam tibi illud, qualecunq; est, recitabo.

Ædificat Marcus sumptis è fœnore nummis: Dum-

Dúmque ædes crescunt, hoc quoque crescere scit.
Ædibus exstructis queat vnde exsoluere summam
Alpheo & fœnus, nescit at ille tamen.
Sic, domus Alphei, non Marci, est illi futura.
Ædificat, sese ludificátque simul.

MIS. Hîc certe aptum illi antiquariæ nouitati locum dedisti. Sed illud Alphei nomen, de quolibet fœneratore, nónne ex Horatio à te sumptum est? COR. Ex illo ipso. Reuocabo tibi in memoriam versus illius: si fortè es oblitus.

Hæc vbi loquutus, fœnerator Alpheus,
Iamiam futurus rusticus,
Omnem redegit idibus pecuniam:
Quærit calendis ponere.

MIS. In meo tamen exemplari non Alpheus, sed Alphius, scriptum est: verùm minimè dubium est quin Ἀλφεὸν in Alpheus mutari potiùs debeat. Sed aliud addo: si *loquutus* ad Alpheum referendum sit, nó ad Horatium, mirum esse, hunc non dixisse potiùs,

Hæc me loquuto, fœnerator Alph. &c.

Cor. Huius quod te mirari dicis recordabor quoties ille Horatij locus aut in oculos aut in mentem mihi veniet.

Mis. Gaudeo quòd tibi dignum id videatur cuius tamdiu recorderis.

Cor. Ad illam sermocinationem vestram, de qua dictum fuit, vt reuertar: & me sermonibus etiam illis qui præcesserunt eos quorum facta mentio fuit, aurē præbuisse, persuasum habeatis: qua de re illi fuerint, paucis exponam. Quoniam principem antiquariorum habitum esse à quibusdam Salustium, præsertímque hodie haberi, dictum erat, allata sermonis eius varijs è locis exempla, atque excussa & examinata fuerunt. Præsertímq; nonnulla loquēdi genera quibus verbum *Trahere* est adhibitum, parum placuerunt. Tandem verò ad ista peruentum est, *Reputare cum animo*, *Agitare cum animo*, *Statuere apud animūm*: & de conuenientia dictum est, quã illa duo priora cum Græco σύννους habent. Kæn. Iam omni dubitatione apud nos caret, Coronel-

le, te,

le, te, quamuis res alias agentem, auditorem tamen noſtrum fuiſſe. Sed quid de noſtro Miſokæno dicemus, Coronelle, adeo rigidum cenſorem erga Saluſtij ſermonem ſe prębente? MIS. Potiſſimum erga illud tuum, vel potius Saluſtianum, *trahere*, talem aut fere talem me geſſi. Ac tu certè modò mihi viſus es, diſcipulus magiſtrum ſuperare. KÆN. Abſit vt ego mihi tantum tribuam. Quorſum autem iſtud? MIS. Iſtud (vt meam tibi mentem aperiam) huc pertinet: te modò viſum mihi eſſe magis aptum, aut ſaltē minùs durum, illi loquendi generi vſum dare, quàm det ipſe Saluſtius: quum dixiſti, *Hoc certè eſt Miſokæni ſermonem propalam in crimen trahere*. Fortaſſe autem tibi videbaris alioqui me paulatim Saluſtianum redditurus, per alia quę ex eo mihi proponebas loquendi genera: præſertim verò quum me quoq; ſcriptorum eius aliquando lectorem fuiſſe ea tibi oſtēdiſſent quæ ex aliquot eius locis attuleram. KÆN. Et poteram & volebam (vt obiter hoc intelligas) in vno eorum

quos attulisti locorum te iuuare: sed incidimus in quendam sermonem, qui procul à memoria mea illud quod facere paratus eram remouit. MIS. Quis locus ille erat, in quo mihi paratus eras adminiculari? KÆN. Is vbi de verbo Niti Salustio familiari loquebaris. Nã inter alia exempla attulisti & illud è Iugurthino bello, vbi male in quibusdam editionibus *visus* pro *nisus* legitur: sed facienda erat mentio & loci paruo interuallo præcedentis, vbi etiam habetur *nixus*. Es autem admonendus & alius, vbi legitur quidem illud ipsum verbum *niti*: sed ita vt expungendum censeatur: & meritò. *Metellus* (scribit in Iugurthino bello) *postquam videt frustra inceptum, neque oppidum capi, neq; Iugurtham niti nisi ex insidijs aut de suo loco pugnã facere.* Hîc enim niti superuacaneum iure existimatur. Opinor autem & aliud mendum huic loco subesse, & quidem illi contrarium. Nam vt verbum hîc supersit, ita paulo ante deesse vnum videtur, videlicet *esse*: quod post *frustra* vel post *inceptum* ponatur. Sic enim

enim alibi legimus, *quippe cuius neque consilium neque inceptum vllum frustra erat.* MISOK. Quàm non mirum est te tam multa circa Salustij scripta posse præstare, tam est mirum potuisse à me quidquã præstari. Mirum est, inquam, vel illa quæ mihi in mentem venerunt, potuisse post tantum à lectione illius spatium venire. Verùm ex eo quòd in eius lectione aliquando versatum me animaduerteres, tibi illud quod dixi promittere non debebas, fore vt me paulatim Salustianum redderes: id est, antiquariæ Sàlustij Latinitatis imitatorem. Haud enim dicam, quod ad sermonis Latini vsum attinet, ea quę multi ex antiquarijs, præsertimque è Lipsiomimis, vere possent dicere,

—— video meliora probóque,
Deteriora sequor:

sed dicturus sum,

—— video meliora probóque,
Deteriora alijs linquo.

COR. Tuum institutum laudo: & verò quis est qui nõ laudaret? MIS. Non dubito igitur quin idem sit tuũ. COR.

Idem mihi institutum esse scio: sed mihi haud tantũ semper esse iudicij quantum ad tenẽdum illud requiritur, non nescio. MIS. Ego pariter hoc fateor, ac, quum dico,

— video meliora probóque,
Deteriora alijs linquo:

intelligo, id à me fieri quantum iudicio valere possum. Sed ingenuè fatere, quæso, mi Coronelle: túne tanti Salustium facis quanti fieri vult illum Kænophilus? COR. Magni facio: sed non tanti certè quãti à Kænophilo fieri noui. Sed quid mirum si scriptorẽ, quem non solùm pro suo sed pro totius suæ gentis (ita amplum eius collegium voco) principe habet, omnibus alijs scriptoribus anteponit? Tu autem (nequid dissimulem) in alteram peccare partem, haud iniuria dicêris: quòd quæ Latinissimè, elegantissimè, significantissimè (ac de quibusdam addo & breuissimè) ab illo dicuntur, omnino obliuioni tradideris. Ipse Cicero (mihi crede) & admiratus & imitatus horũ quædam fuisset, si & legisset, & illius honori hoc

ri hoc genus honoris non inuidisset. MIS. Vllúmne mihi afferre exemplum potes? COR. Non tam mala conda est memoria mea vt nunc nullo modo proma esse possit. MIS. Quod igitur illa tibi promet, tu vicissim mihi promito. COR. Tu ergo hæc *condita mente teneto*, Misokæne: *Quod verbum in pectus Iugurthæ altius quàm quisquam ratus erat descendit*. Quid magis Latinè, magis eleganter, magis significanter dici potest? Nec malè loco illi istum additurus mihi videor, (vt alterum exemplum sit) de Metello, in bello Iugurthino, *quòd aduersum diuitias inuictum animum gerebat*. Quæ tanta vllius carminis esse grauitas potest, vt ea indignũ hoc loquendi genus censeatur? An putamus ipsum Virgilium fuisse dubitaturum musæ suæ hæc adscribere?

—inuictúmque gerebat
Has aduersus opes animum.

Multo autem minùs dubitasset, hunc versum ex illis Salustij verbis cum quadam mutatione factum', ei vindicare,

Hic aduersus opes gerit insuperabile pectus.

Perinde acsi quis dicat, Insuperabili quodam pectore bellum aduersus opes gerit. Estque simul obseruandum, opes hîc non malè de opum cupiditate intellectum iri. Non sum nescius, Liuiũ pariter habere multa quibus poetica quædam grauitas subesse dici potest: (atque adeo nonnulla in versus hexametros transformaui valde sonoros & grauitatis plenos: adiutus etiam ipsius orationis numeris, propemodum in poeticos & versui aptos cadentibus) sed pauca quæ cum his Salustianis, ad hoc laudis genus quod attinet, comparari possint, me legere memini. Iam verò & quod breuitatis nomine valde commendari mereatur, apud eundem sæpe occurrere, vix fieri potest vt eius lectorum vllus inficietur. Vno tamen exemplo contentus ero, *lingua quàm manu promptior*. Quanta autem, quàm apta & concinna breuitate dictum hoc sit, multo melius animaduertet quicunque illam orationis formam in aliã mutare conabitur. Mis. Quam tu his locis tribuis laudem agnosco: & Kænophilum

philum eos mihi non proposuisse miror: quum alioqui Salustium & ipse mihi effusè laudaret, ac effusior etiam in eius laudes esse vellet. KÆN. Vel illos vel alios huiusmodi illius scriptoris locos tibi allaturus eram, antequã meum de eo sermonem missum facerẽ. COR. Sed non itidem παῤῥησιαζόμενος ipsi eras hoc de scriptore vt ego παῤῥησιάζομαι. Nam de hoc fateri statui quod fatendũ est: & quod tamen (si bene te noui) eras dissimulaturus. KÆN. Quidnam illud est? COR. Habere illum nonnulla obsoleta, &, si ita loqui licet, plusquã obsoleta. KÆN. Eum vocabulo Prosapia vti iam fassus erã. COR. Sed multo magis sermonem suum interfœdat, multo maiorẽ sermoni suo labem interspergit, quum obsoletam significationem tribuit alicui vocabulo quod alioqui nihil minùs quàm obsoletum est. Ibi enim magis putida (meo quidem iudicio) est kakozelia. KÆN. Cedo exemplum. COR. Quasi in promptu non sit *supplicia* pro supplicationibus. Ac fieri certè potest vt supplicium pro pœna

qua quis afficitur, inde manarit: ex eo nimirum quòd quis pœnam deprecans supplicaret: aut (si me ita loqui mauis) pœnam suppliciter deprecaretur: sed non video tamen quî negari possit, durum esse alterum istũ illius vocis vsum, vtpote à tam longo tempore obsoletũ. Atque adeo perinde esse dico, acsi quis alijs vestimentis nitidis corpus suum tegentibus quoddam situ & carie obductum intermiscereat. KÆN. Tu certè hoc de scriptore male mereris Kænophile. COR. Nego me de hoc scriptore male mereri: tantùm me de ipso παρηπατάζεσθαι dico. At verò ipsum de lectoribus, in huiusmodi quidẽ certè locis, male mereri haud negauerim. Præterquam enim quòd taliavocabula ea quã dixi de causa offẽdere lectores possunt: sunt etiam velut quędam tendiculæ incautis. KÆN. De lectoribus delicatis loqueris. id est, quorum delicatæ sunt aures. aut potiùs nimium delicatæ. Sed quid tu in aurem Misokæno? Quidquid illud sit, non dubito quin aliquid cæteris omnibus quæ dixisti, peius sit.

MIS.

MISOK. Tibi sum autor, Coronelle, vt ipsi non reticeas quæ mihi dixisti. Eueniet enim quod vulgo fertur, *Quod tegitur maius creditur esse malum.* KÆN. Rursum in aurem. COR. Non iam in aurem dicam, sed clara voce proferam ea quorum Misokænum tantummodo conscium esse volebam: ac in eo tibi consulebam. KÆN. Quomodo, ea me celando, mihi consulebas? COR. Eo modo quo quis ei consulit cuius non vult aures offendere. KÆN. At iam tibi ad multas offensiones licet offensiunculam, velut appendiculæ loco, adijcere. COR. Quid si verò nõ sit offensiuncula, sed offensio, & quidẽ maior etiam cæteris? KÆN. Quid tum? Iam & aures & animum aduersus ea, qualiacunque sint, armabo. COR. Dicebam Misokæno in aurem, quempiam conuenientissimè moniturum esse Salustium verbis Horatianis, ex ode XV libri III sumptis: cuius initium est, *Vxor pauperis Ibyci.* KÆN. Quid illi Horatianæ odæ cum Salustio? COR. Immo habet versiculum è quo aliquis aptissimam Salustio

admonitionem, paucis mutatis, queat sumere. sicut enim ibi legimus,

Et stellis nebulam spargere candidis,

ita quis Salustio, talem labem (vt antea sum loquutus) interspergenti sermoni suo, meritò dixerit,

Ne stellis nebulam spargito candidis.

Mis. Nónne, Kænopule, verum hîc quoque experiris illud dictum? *Quod tegitur maius creditur esse malum.* Kæn. Nihil saltem grauius audiui ijs quæ antea audieram. At nunc vide quàm diuersa, atq; adeo quàm contraria, antiquariorum nostrorum de illo & de cæteris antiquis antiquarijs (siue illorum scripta, siue fragmenta saltem legunt) sit sententia. Tantum abest vt fateantur, aliquod huiusmodi vocabulum, quamuis obsoletum, esse nebulam quę stellis candidis interspergitur, vt pro stella maiore habeant quæ minoribus interijcitur. Cor. Haberem multa quæ huic eorum iudicio possem opponere (etiamsi multos esse sciam qui aduersus tam crassum iudicium ne disputare quidem dignarentur) nisi sord

spera-

sperarem vt de antiquario Salustij sermone aliás vobiscum differam. Quod etiam in causa est cur hîc à nobis finem de eo dicendi fieri velim. KÆN. At ego sperabã, quũ semel atq; iterũ esses pollicitus te de Salustij stylo verba facturũ: ac nominatim hoc in te recepisses, ostendere cũ multas aliorum scriptorũ cõsuetudines nihil morari: te id in hoc ipso colloquio præstiturũ. COR. Frustra ergo erit tua spes: vt in Salustij postrema (hoc quidẽ in colloquio) mẽtione, Salustianizem. KÆN. Hoc à me audiri non sine cordolio. COR. Quid: nõ sine cordolio audis me Salustianizantẽ? KÆN. Absit. Immo nihil mihi magis volupe est quàm in Salustianizantem quempiam incidere. COR. Quæ igitur est illius tui cordolij materies? KÆN. Illud ipsum quod dicis, meam spem frustra futuram: nec non postremam hîc fore, isto quidem in colloquio, Salustij mentionem. MIS. Meum erat hoc dicere, & quidẽ ex animo loquentem: non autem (vt ipse quoq; in gratiam tuã, in postrema Salustij, hoc qui-

dem in colloquio, mentione, Saluſtianizarem) aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habentem. Kæn. Cur tuum erat potiùs quàm meũ? Mis. Quia tyro ſum in Latinitate Saluſtij, (niſi potius dicendum eſt, in lectione Latinitatis Saluſtianę) at tu veteranus. Cur enim tanto non te digneris honore? Cor.

Quis Miſokænus iſte nunc nouus nobis?
Quis eſt & vnde Miſokænus hic prodit?
Quo fonte labra proluit Caballino?
Caſtalide vel qua labra proluit lympha?
Modis ſoluta vt illa quæ velit fari,
Poetici vltro vinciant pedes verba?

Mis. Immo, quis nouus hic Coronellus? Poeticum quiddam (quiſquis eſt) furere videtur: quum poeſin, vbi nulla eſt, audire ſibi videatur. Kæn. Poetica hæc tam repentina Coronelli exclamatio facit vt propemodum dubius ſim vigilémne an ſomniem. Mis. Quid ſibi velit neſcio: & quomodo poeſin ſubeſſe illi ſermoni imaginetur, vbi poeſis ne vlla quidem eſt imago. Eum tu audiſti, Kænophile. Kæn. AVdiui.

Mis.

MIS. Nónne idem dicis? KÆN. Idem & dico & ſemper dicturus ſum. MIS. Ego pariter. COR. Faciam vt vterque veſtrum, quod ſe dicere & ſemper dicturum ait, id ſe negare & ſemper negaturum dicat: atque ita inſaniam illam quam Miſokænus mihi obijcit, in vos retorquebo. Hoc tantùm excipio, vt nec Miſokænus ea quæ protulit, ſe protuliſſe inficietur, nec tu Kænophile ea te audiſſe velis inficiari. KÆNOPH. *Omnia tuta times.* COR. Nónne, Miſokæne, poſtremus ſermo tuus (cuius tanto facilius poteris recordari) hic fuit? *Cur enim tanto non te digneris honore?* MIS. Fuit. COR. Nónne verſum hexametrum hæc efficiunt? Quid hæres? quid mirabundus, vel potiùs attonitus, reſponſum mihi tamdiu differs? Quid hoc ſibi vult? Verſum certè hexametrum, & quidem verè heroicum, (id eſt, grauitate heroici verſus dignum) illa efficiunt: ſi modò quis, vnicam ſyllabam adijciens, dicat,

Cur etenim tanto nõ te digneris honore?

MIS. Dicendum erat, *Cur enim tanto*

honore non te digneris? ac mihi certè in mente erat hæc verborum collocatio: sed lingua transuersam egit (vt ita dicam) meam cogitationem. COR. Scis cur id fecerit? MISOC. Nequaquam. COR. Id ab ea factum puto quòd libenter Virgilianizet. Vidit autem fore vt duobus modis Virgilianizaret, si verba eo ordine disponeret. Non enim tantummodo Virgilianum loquendi genus, sed etiam Virgilianos numeros seruaturam se animaduertit. Hoc saltem haud te latebat, Virgilianè te loqui. MIS. Poeticè me loqui sciebam, an Virgilianè loquerer subdubitabam. Cogita autem quid de me cogitaturus fueris, si addita syllaba *etenim* dixissem. Certè, quod casu accidit, consultò à me factum existimasses. COR. Quid? si lingua tua te inconsulto, sed tamen consultò, id fecit (vt modò dixi, atque vt credibile aut saltem suspicabile est) nónne à te profectum dici debet? Verùm ita loqui, est sanè tantum Heliconis beneficium nimis extenuare. entheam enim tuam mentem reddi-

derit

derit necesse est. Nisi alterum illud quod scripsi, (vel potiùs alterutrum eorum quæ scripsi) verum est:

Quo fonte labra proluit Caballino?
Castalide vel qua labra proluit lympha?

Quid ais Kænophile? KÆN. Quid aliud dicerem, quam mirari me; & plusquam mirari? COR. At ego te mirabundum de eo quod Misokæno euenit, de eo quod tibi accidisse fateberis mirabundū reddam. KÆN. Quidquid sit illud quod mihi accidit, saltem tale nihil esse scio. COR. Immo idem omnino tibi accidit. KÆN. Quid uis potiùs credam. nō enim sum ego ita poeticus: vel potiùs Græcè (vt mentem meam intelligas) non ita sum ποιητικός. COR. Immo, si tuis auribus crediturus es, crediturus es quod dico: versum te fudisse, quum soluta oratione te vti putares. KÆN. Idne paulo ante factum est quàm Misokænus suū fudit? COR. Paululo ante. KÆN. Omnes memoriæ meæ latebras excutio, si fortè aliquam saltem illius quem dixisti versus partem alicubi delitescentem inueniam:

sed frustra esse tantam meam in rimando diligentiam comperior. Quod autem versus erat genus? COR. Quale ei generi quo Miſokænus est vsus, subiungi solet. KÆN. Erat ergo pentameter. Hic enim potius quam iambicus tali hexametro subiungitur. Sed ne hoc quidem facit vt in mentem venire mihi possit. COR. Recordare vocis Cordolium, qua vsus es. vltimum enim versus illius verbũ erat Cordolio. MIS. Memini illum dixisse, *non sine cordolio*: sed quid præcesserit, haud reminiscor. COR. Iam hemistichium habes Kænophile: sed (ne te tamdiu suspensum teneam) en tibi non iam hemistichiũ, sed totum stichum,

Hoc à me auditur non sine cordolio.

KÆN. Iam & ipse hemistichij illius à me pronuntiati recordor, sed totius stichi nequaquam. Itáne me per imprudentiam fuisse στιχοποιόν? COR. Minimè mirandum adeo istud est: quum & veteribus scriptoribus sæpe contigerit. Nominatim autem Liuio quosdam excidisse, si non integros, saltem fere integros,

gros, aut in hoc colloquio, aut in alio, ostendam. MIS. Memineris promissi, Coronelle. COR. Meminero: sed tu vicissim memor esto quibus verbis vtar. Spondeo enim me ostensurum: quoniam in rem præsentẽ veniendum erit: id est, ad ipsum Liuij historicum opus: & in certis quibusdam eius locis indagandĩ erũt loci. MIS. Hoc memorianon excidet. Interim verò mihi de illo qui mihi excidit versu (nã de eo vti voce eadem posse mihi videor, licet in paulo alium sensum) mihi gratulor: simúlque de illo quem tu effudisti, gratias tibi ago. In causa enim erunt cur Coronellus Liuium quoque σιχποιοῦντα nobis ostendat. Nisi potius dicendum est, lectores suos εἰς σιχποιΐαν ἐμβάλλοντα. Cæterùm vt posterioris saltem partis pentametri tui recordaret, —*non sine cordulio*, fecit hoc insigne & antiquarijore dignum (præ quouis alio fortasse) vocabulum Cordolium. KÆN. Non sine ironia hæc à te dicuntur. Nam irrides (sat scio) meum sermonem ob illam antiquã vocem Cordol um. MIS.

Ne quid dissimulem, vtque potiùs ad παῤῥησιασμὸν veniam, pentametro inclusum (nam tuus pentameter aliquem pentametrum mihi vult elicere) de voce tua Cordolium dicam,

AVri hanc cordolium crede tulisse meæ.

Nisi fortè ineptus sum, qui auri cor tribuam: quum dico vocem illam Cordolium auri meæ cordolium attulisse. Sed quidni aliquis inter inepta ineptiat? KÆN. Quæ sunt illa inepta? MIS. Cordolium hęc etiam tua interrogatio mihi affert. Vix enim iam circa illam παῤῥησιαστὴς esse audeo. KÆN. Immo hîc quoque παῤῥησιάζε. Nam ne ipse quidem aptiore verbo vti queo. MISOK. Eo certè libenter ego vtor, tum ea de causa, tum quòd Gallicogræcè aut Græcogallicè mihi loqui videar, quum sermoni meo illud adhibeo. Sequor enim Coronelluni, qui παῤῥησία dictum existimat quasi πανρησία (quum ab alijs scriptum fuerit, illud παρ ex præpositione παρὰ priorem compositionis partem efficiente, remansisse) ideóq; παῤῥησιάζεσθαι planè respondere ei quod his duabus voculis

voculis exprimimus, *Dire tout.* Ita vt quod dicimus Gallicè, *En la fin vous me ferez dire tout*, plerunque sonet, Tandem facies me παῤῥησιάζεσθαι. KÆN. Quoniam in eius Thesauro non memini me hoc legere, ideo libentiùs ex te audio. MIS OK. Illum hoc, inter alia multa, scripsisse puto in libello Gallico, (qui multis annis Thesauri editionem præcessit) inscripto, *De conformitate sermonis Gallici cum Græco.* Sed Gallicè est scriptus, & Gallico titulo inscriptus (quem Latinis verbis imitari volui) *De la conformité du langage Francois auec le Grec.* Vix tamen affirmare possum, hãc obseruationem ab illo eius opusculo, an ab eius ore habeam. Sed tu interim Coronelle, alias res agis, miniméque ad ea quę dicuntur attendis. COR. Immo ita res alias ago, vt tamen & hoc agam. MIS. Scis igitur quid super quodã verbo Græco ex te attulerim. COR. Scio. MIS. Quódnam est illud verbũ? COR. παῤῥησιάζεσθαι. Voluisti experiri an ego ἀληθεύων illud respondissem. MIS. Nónne fideliter retuli quæ ex te didici?

COR. Fideliter. MIS. Sed tuóne ex ore, an ex illo tuo libello, ea habeo? COR. Ne ipse quidem possum tibi de hoc responsum dare; quum de hoc etiam dubitem, an obseruationem illam ei libello mandauerim. Scio tamen, si inter alias non sit quas illa editio habet, saltem in numero earum quas adieci (multę autem sunt) inuentum iri. KÆN. Vereor ne ista de verbo παῤῥησιάζεσθαι digressiuncula abstrahat è tua memoria τὸ παῤῥησιάζεσθαι super ea re de qua sermo nobis erat. Quare antecapias velim. MIS. Id faciam: ac fatebor, me hæc verba, *Sed quidni aliquis inter inepta ineptiat?* adiecisse, ad tuum Cordolium respicientē. KÆN. Tu Vatiniano quodā odio meū illud Cordolium prosequeris. MIS. Magno saltē. KÆN. Adeo vocabulum istud odisse, est male mereri. MIS. De quib. male mereri est? nónne de antiquarijs? KÆN. Tua celeritate finem sermonis mei anteuertisti, atq; vt imperfectus maneret fecisti. Dicturus enim eram, Adeo odisse vocabulum istud, esse malè mereri de antiqua Latinitate.

nitate. MIS. Immo dicendum tibi fuisset, rectè loqui volenti, Male mereri de obsoleta Latinitate. Non dubito scilicet quin inter Latinitatis κειμήλια vocabulum illud sit repositum. Ac, si quod est obsoletorum verborum sacrarium, primum hoc ibi locum tenere, mihi fit verisimile. COR. Ego, tanquam echo, succinam, Verisimile. Et quidem tanquam echo veridica, id succinam. KÆN. Quid? vísne irrisioni Misokęni succinere? COR. Immo, non magis iocans quàm seria loquens, dico, siquod est obsoletarum vocum sacrarium, non dubitare me quin ibi vox illa Cordolium, tanquam vnum è præcipuis keimelijs, primæ sedis honore sit honestata. KÆN. In hoc quoque inter vos optimè conuenit, quòd istud vocabulum appellatione obsoleti infamatis. Sed quæ vocabula multis atq; adeo plerisque erant obsoleta, non erant tamen omnibus. COR. Non erant obsoleta antiquarijs. Sed hoc respondere, perinde est acsi quis, quum de cibo aliquo disceptaretur, saluber sit an insalu-

ber, ad probandum esse salubrem, ægroti alicuius autoritate vteretur: atque adeo ad probandum, mel esse amarum, ictericum aliquem, testem laudaret. KÆN. Cur antiquarios cum ægrotis comparas? COR. Interroga potiùs cur antiquos grauissimo laborare morbo censeam. KÆN. Quis ille est antiquariorum morbus, & quidem grauissimus? COR. Kakozelia. KÆN. Nondum illis hoc vel à te vel à Misokæno obiectum fuerat. COR. Tanto maiores nobis agere gratias debes quòd illis parcere aliqua ex parte voluerimus. KÆN. Italicus sermo, qui vix vlla obsoleta Latinæ linguæ vocabula retinuit, & siqua retinuit, id consultò fecit, tamen Cordolium non seruat solùm, sed inter elegantissima & significantissima ponit: mutatum in *cordoglio*. COR. Iam non habes quò te vertas, quum ad Italici sermonis autoritatem (si tamen is aliqua autoritate valere hîc debet) te conuertis. Et verò antequam in maiores angustias à nobis redigaris, finem de eo dicendi faciendum censeo. MIS. Ideo fortasse

fortasse illam vocem tanto in pretio habendam censet vt etiam reuocari ab exilio debeat, quòd ad exemplum Græcæ καρδιαλγία factam esse opinetur. COR. Valde fallitur si hoc putat. Nam est καρδιαλγία cordis dolor: id est, morbus qui cordis dolorem affert: vt κεφαλαλγία, morbus à quo dolor capitis affertur. Eodémque modo καρδιαλγὴς, vt ea forma dicitur qua κεφαλαλγὴς, ita similem vsum habet. Quamuis alioqui pro καρδιαλγὴς dicatur etiam καρδιακὸς, deriuatiuè tantùm, non & compositè: (sicut à στόμαχος deriuatum seu deductum στομαχικὸς de eo dici solet qui stomachi dolore laborat) itidémque pro καρδιαλγῶ sit in vsu (& quidem frequentiore, vt arbitror) καρδιώτλω: (vnde καρδιωγμός) pro quo apud poetas & καρδιόω. Iam vide, vt ad Cordolium reuertamur, quàm ineptum futurum sit καρδιαλγίαν illa voce interpretari. MIS. Optandum certè esset tantũ καρδιαλγωῦν risum inde oriri, vt in risum solutus simúlque solutus morbo dici posset. Aut (si me ita loqui mauis) vt soluto risu solutus morbo

posset dici. Cæterùm (nequid dissimulem) nec mihi satis constabat an καρδιαλγία de morbo tantùm diceretur. Interim verò memor illorum ero quę, sumpta ex hoc vocabulo occasione, de alijs quibusdam dixisti. Sed, quemadmodũ varij ægroti à varijs corporis partibus nomen accipiunt, vt Cardiaci, Stomachici, Nephritici, Arthritici: ita quidam ab ipso morbi genere nomen eiusdem formæ habent. Cor. De hoc minimè dubitandum est: vt ostendunt hæc, Hydropici, Asthmatici, Icterici: ac illi affinę pronuntiatione, sed longè diuersum significatione, Hysterici. Fallor tamen. nam mulierum tantummodo quum sit ὑστέρα, earum solùm esse potest morbus qui ex illa nascitur. Vnde fit vt Hysterica duntaxat, non etiam Hysterici, dici possit. Misok. Nónne Latina lingua eadem ijsdem ægrotis nomina dat? Cor. Eadẽ. Atque hęc interrogatio in memoriã mihi reducit quoddam Martialis epigramma, vbi editiones quędam, veteres prę-sertim, falsò *ictericam* pro *hysticam* nobis

bis exhibent. Recitabóne epigramma? MIS. Quidni? præsertim si festiuum est. omne enim ab illo Cordolio allatum senſũ auertruncabit. (Vt aures artiget ad hæc verba Kænophilus! vt triumphabit, tanquam de aduersario sententiam mutare incipiente, & iam illi causam propemodum tradere statuente!) COR. Tanto libẽtius illud illius boni viri epigramma recitabo. Immo primũ duntaxat versum recitaturus sum: quòd qui secũdus est nimis obscœnum verbum habeat. At primus, est hic,

Hysterícam vetulo se dixerat ésse marito.

Habent autem quędam editiones non *ictericam*, sed *hictericam*: quæ aspirationis notã ex alterà voce *hysterícã*, (quam esse germanam lectionem constat) remansit. MIS. In tuam pariter gratiam recitatum fuisset illud epigramma, ad excutiendum tibi quoq; Cordolium. Nam nimis longus de illo fuit sermo. KÆN. Longum tu per tuam digressionẽm fecisti. MIS. Sed occasio illius digressionis se obtulit: atque hæc vicissim occasionem præbuit quædam ex Co-

ronello ad Græcæ linguæ cognitionem pertinentia dicendi. Si tamen non satis longus sermo ille tibi fuit, ac supersunt quæ ei velis adijcere, audientiam illis faciet id quo tenemur tibi satisfaciendi desiderium. KÆN. Hoc igitur superiori addo sermoni, è verbis obsoletis (quæ tu nouo quodam conuitio exulantia appellas) vix vllum esse quod magis aptè compositum, magis significãs, magis sonorum dici possit. Quod verò habent Galli aliud vocabulũ quo suũ *creuecœur* possint exprimere? MIS. Autor sum igitur vt tota Gallia legationem, ad reuocãdam ab exilio hanc vocem, mittat. Sed quò mittet? KÆN. Mentionẽ modò fecisti desiderij quo tenereris mihi satisfaciendi: sed (quantum video) magno potiùs me subsannandi desiderio teneris: (vt de Coronello nunc taceam) eíque nimium indulges. Respondebo tamen ad illam tuam verborum obsoletorũ cum exulibus comparationem: & dicam, non omnium exulum esse perpetuum exilium; (quod mihi negare non potes)

peio-

peiorem autem quarundam vocum obsoletarum conditionem esse nõ debere. MIS. Aliud à me responsum nõ feres, quàm exspectãdum esse tempus vocib. obsoletis quo necessitas ab exilio reuocare illas cogat. Nisi fortè antiquariorum gratia & autoritate tantum valebunt apud eos quorum est tanto eas beneficio afficere, vt tempus illud non cogantur exspectare. KÆN. Nequaquam apud te tantum gratia & autoritate valerent antiquarij. MIS. Fateor. KÆN. Quoniam tibi displicere antiquarium sermonem noui, ideo coram te linguam quantum possum ab illo sermonis genere contineo: verùm fieri non potest quin aliquando minùs dicto sit audiens. MIS. Immo aut rarò de ea continenda es solicitus, aut rarò est dicto, vel potiùs freno (nec enim dubito quin eo aduersus illam vtaris) audiens. Obseruaui enim, ab illo etiam tempore quo tuum illud Cordolium expectorasti, statim ex eodem pectore erupisse illud comicum volupe, ab vsu itidem ante secula multa remotum.

Quinetiam nõ solùm Antecapere pro Anteuertere, cum Salustio (quod tibi condonabam) dixisse: verùm & verbo Comperior, ex eodem sumpto, pro Comperio vsum esse. Hæc (crede mihi) vox, tam paruo alioqui discrimine ab altera distans, supraquam dici queat aures meas offendit, vt magis putidam kakozeliam habens. Kæn. Fieri potest vt hæc mihi exciderint: sed longè alia ex me audires quoties mihi cum antiquarijs sermo est. Mis. Non dubito quin ibi mutua sermonis corruptela vestram antiquariè loquẽdi libidinem expleatis. Kæn. Itáne pro sermonis corruptela antiquarium sermonẽ habes Misokæne? Quid tibi de hoc verbo videtur, Coronelle? Cor. Asperius esse fateor quàm vt eo vti debuerit. Kæn. Sed vnde fit vt tu Misokæne, tantus antiquariæ Latinitatis & osor & reprehensor, ex ea nonnulla sumas? Mis. Cedo mihi aliqua exempla. Kæn. Vel illud verbum quo vsus modò es, Expectorasti, nónne illo in numero ponendum est? Mis. Sed prærogatiuam illi

aliquam

aliquam dat verbũ ἀποσκίζειν, cui respondet. KÆN. Quid verò dicturus es de de illo genere loquendi, quo antea vsus eras, Trãsuersam agere? Memini enim te ita loquutum esse, *Sed lingua transuersam egit meam cogitationem.* MIS. Non addis quod addidi, *vt ita dicã.* Ita enim loquutus sum, *sed lingua transuersam egit (vt ità dicam) meam cogitationem.* Præterea Salustio nequaquam peculiarem, multóque minùs obsoletam esse hanc phrasin dico. KÆN. At quomodo de istis te excusabis? *Omne enim ab illo cordolio allatum senium auerruncabit.* MIS. Interroga Coronellum quid illi in aurem dixerim, simulatq; ista verba protuli. KÆN. Cuius (quæso) sermonis cautione sibi cauit, aut saltem cauere voluit, Misokænus, postquam verba illa protulit? COR. Statim in aurem mihi dixit, *Vt aures arriget ad hæc verba Kænophilus! vt triumphabit, tanquam de aduersario sententiam mutare incipiente, & iam illi causam propemodum tradere statuente!* KÆN. Suspicor, te, quum illa verba, *omne senium auerruncabit*, tibi exci-

dissent, & statim cogitasses quibus ea auribus excepturus essem, ad sermonē illum confugisse, tanquam tibi patrocinaturum. MIS. Quomodo patrocinaturum? KÆN. Quòd sperares, me ex eo coniecturam esse facturum, te non ex animo, sed iocari volentem, verbis illis vsum esse. MIS. Quid si verò absq; ioco ita loquutus essem? eodémne vtranque vocem loco haberes? KÆN. Quidni? MIS. Atqui, quum dicimus *Auerruncare senium*, duobus vocabulis quæ eiusdem classis non sunt vtimur. Nam *auerruncare* ad classem obsoletorum pertinet: at verò vox *senium* ad hanc classem referri non potest, quum ipsa quidē minimè obsoleuerit, sed tantùm hic eius vsus sit obsoletus. Quum, inquam, sit obsoletus hic eius vsus quo tædij significationē habet. Quid dico? immo ne hic quidem vsus dici obsoletus potest. Ac testem dare possum Horatium: qui, quamuis obsoletis vocibus non gaudeat, canit in longa illa ad Lollium epistola,

—— tu cede potentis amici
Lenibus

Lenibus imperijs. quotiésque educet in agros
Ætolis onerata plagis iumenta canésque,
Surge, & inhumanæ senium depone camænæ:
Cœnes vt pariter pulmenta laboribus empta.

Quæ tamen senij appellatio hoc in loco affinem potius ei quem dixi vsum, quàm eum ipsum, habet. KÆN. Semper aliquod effugium tibi præsto est. Si tamen talis in tuam Latinitatem inquisitor esse velim, qualis tu es in meam, faciam vt tandem mihi non elabaris. Te enim, quamuis misokæniam præ te feras, agere interdum philōkænum, ostēdam. Ac iam antea te huius rei (si bene memini) non argui solùm, sed etiam conuici. MIS. Huius rei nō recordor: nec verò fit mihi verisimilis. At si nunc itidem alicuius in Latinam linguam peccantis Latinitatis nō arguere solùm sed conuincere etiam potueris, idem te antea fecisse, absimile vero non fuerit. KÆNOPH. Recordare igitur, te, non multo ante, de lingua mea loquentem,

his apud me verbis vsum esse, *Immo aut rarò de ea continenda es solicitus, aut rarò est dicto, vel potiùs freno (nec enim dubito quin eo aduersus illam vtaris) audiens.* Mis. Fateor me hoc apud te sermone vsum esse: verùm, si aliud aduersum me non afferas, ita me reum ages vt nō peragas. Kæn. Atqui poterisne mihi aliquē dare, nō dicam è Latinitatis proceribus, sed ex ijs qui propemodum infimi sunt in ea ordinis, cuius exemplū te dicere sequutum possis? Mis. Spero me daturum aliquem, & quidē non ex infimi ordinis scriptoribus. Kæn. Diu cogitas: sed nihil tibi longa ista cogitatio proderit. Mis. Saltem nec nocebit. Kæn. Immo aliquid nocebit: quoniam interim facta fuerit iactura temporis. Mis. Sed quid si inueniam quem dare possim? Kæn. Scio te non inuenturum: & quauis sponsione tecum certabo. Mis. Bona fide agere tecum volo. nam ideo sponsione tecum certaturus non sum, quòd iam inuenerim. Kæn. Vix credo. Mis. Tandem tamen futurū est vt credas. Dicam verò quod

rò quod magis miraberis. KÆN. Quídnam? MISOK. Is quem dabo, vnus est è Latinitatis proceribus, seu primarijs. KÆN. Quid audio! MIS. AVdis quod tibi pro miraculo esse cognosco: sed verum est tamen. KÆN. Quisnam ille est? MISOK. P. Virgilius Maro. KÆN. Hunc certè iure optimo in numero procerum, siue primatum siue primariorum Latinitatis, ponas, si de Latinitate poetica agatur. MIS. Dicebas antea, solere me effugia quærere: sed nunc id de te meritò dicetur. Immo (si me non fallit memoria) effugia non solùm quæri à me, verùm & inueniri dicebas: at ego te hîc effugium frustra quærere sum dicturus. KÆN. Sed quænã sunt Virgilij verba? MIS. —*nec audit currus habenas.* Librum primum Georgicorum claudit locus vbi ita loquitur. Et quidem ecce tibi illum,

Vt quũ carceribus sese effudêre quadrigæ,
Addunt se in spatia: & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga: neque audit currus habenas.

Putida autem esset illa obiectio, haud dici currum non audire frenum, sed non audire habenas: ideóque dici à me haud potuisse, *freno non audiens*. Putida (inquam) esset illa obiectio, quoniam ὁμοζενῆ sunt (vt ita dicam) vocabula, frenum & habenæ, ac eodem pertinentia: etiamsi Virgilius illic altero illo aptè vsurus non fuerit. Kænoph. Putidam fore dixisti obiectionem, ne ad eam confugerem. Sed nec in animo erat (crede mihi) eò confugere. Misok. Aliud est quo tueri meum sermonem poteram, si mihi suffragium Virgilij defuisset. Kæn. Quidnam? Misok. Posse interdum duo nomina eidem verbo aut participio iungi, quamuis vnum nouè ei iungatur: dummodo præcedat quod ei iungi consueuit. Ac memini, te, Coronelle, multa mihi huius rei exempla afferre. Kæn. Facies tandem vt me triumphum ante victoriam cecinisse fatear. Mis. Fieri poterit aliâs vt mei victor, non autem ante victoriam, triumphum canas. Me enim ex ijs esse haud ignoro quibus

circa

circa Latinitatem impingere minimè nouum est. Quid quòd è veteribus etiam, aut saltem mediæ ætatis, scriptoribus, nonnulli sunt quibus id contigisse videtur? Præsertim verò circa eam Latinitatis partem quæ in proprietatis obseruatione versatur. Atque vt hîc recorder illius Persiani versus, *Nec fonte labra prolui Caballino*, faciunt illi quos Coronellus non multo ante lusit versus de illo qui mihi in medio solutæ orationis exciderat versu. Ideo autem recordor illius Persiani versus, quòd mihi proprietas in eo seruari non videatur. COR. Suspicor eundē esse tuum meúmque super hoc versu scrupulum. De quo tamen alius erit dicendi locus.

MISOK. QVVM sermoni de Salustio non ita impositum esse finem rear, vt ne obiter quidem facere mentionem eius liceat: hoc ex te quæram, Kænophile, quid esset potissimùm cuius causa cupiebas Coronellum in hoc ipso colloquio præstare Salustio, vel potiùs Salustij lectoribus, eam operam quam se præstiturum promiserat. Ita

enim loquuto Coronello, *Quum autem futurum sperem vt de antiquario Salustij sermone alio tempore vobiscum differam, de eo dicendi finem hîc à nobis fieri velim*: Coronello, inquam, ita loquuto, memini (ac te quoque meminisse arbitror) te dixisse, tibi contrà spem fuisse, quum bis pollicitus esset se de Salustij stylo dicturum, fore vt in hoc ipso colloquio id præstaret: ac te ægrè ferre id ab eo in aliud tempus differri. Atque, vt tuam memoriam adiuuem, vtar illis ipsis verbis quibus es vsus, & quæ à nobis exagitata valde fuerunt. Quum enim dixisses te illud speraſſe, & respondisset ille, *Frustra ergo erit tua spes*: tu verba illa his excepisti, *Hoc à me auditur non sine cordolio*. Hæc quum ita sint, quæro ex te (si modò mihi vis ingenuè quod clausum pectore gerebas aperire) quid esset cuius potissimùm causa illam Coronelli de Saluſtiano sermone dissertationem requireres. Eúmne tibi quorundam in Saluſtio obscuriorum velut ὑποφήτων esse cupiebas? Kæn. Cur ego ὑποφήτης (si hoc tecum verbo vtendum est) operã requi-

requirerem? nota est mihi intus & in cute Salustiana Latinitas. MIS. Nulli igitur meliùs notam credis, si intus & in cute notam tibi esse persuasum habes. KÆN. Nulli. Sed quid tu in autem Coronello? MIS. Scies, postquam ex te sciuero quod quæro. KÆN. Sed quæ risus causa? video enim aliquid risus vtrinque esse subsequutum. MIS. Scies vbi ex te intellexero quod scisciter. Respondisti enim quid tui desiderij causa non esset: nunc, quid in causa foret cur illud tantopere cuperes, audire percupio. KÆNOPH. Te id suspicari, quàm ex me intelligere, maluissem. MIS. Cum tam suspicaci homine res tibi non est. KÆN. *Eloquar? an sileam?* Immo quid dubito istud eloqui, quum Coronellus, me tacente, ex ijs quæ tum dixi, assequi coniectura possit? MIS. Quum dicis Tum, de quo tempore loqueris? KÆN. De eo tempore quo, frustra esse meam spem, ægrè atque adeo ægerrimè ferre me non dissimulabam. COR. Iam me ad eam quam dicebat coniecturam, aut saltem ad eius fores,

adducit. Tum enim huius nominatim promissi mei mentionem fecit: futurum vt ostenderem, Salustium multas aliorum scriptorum consuetudines nihil morari. Hoc nimirum erat cuius potissimùm audiendi desiderio tenebatur. Nónne ita omnino se res habet? Kæn. Breuiter, more echûs, respondebo, Habet. Cor. Illi tamen meo de ea re sermoni sæpe non acclamaturus sed occlamaturus eras: sat scio.

Kæn. Inter bonos bene agier oportet. Cor. Quorsum hoc? Kæn. Vt vos admoneam, pacta & conuenta seruanda esse. Cor. De quibus pactis, de quibus conuentis loquitur, Misokæne? Mis. Magnificam & solennem dat appellationē illi meo promisso de re quam tibi insusurrabam patefacienda, nec non de aperienda nostri risus causa: vbi quod scisitabar ex eo intellexissem. Kæn. Quid sibi vult hic iteratus risus? Immo antea subridebatis tantummodo: nunc nō ridetis solùm, sed effusè ridetis. Ac tandem risus, vt opinor,

nor, in cachinnũ erumpet. COR. Valde tibi, Kænophile. Risus absoluere sermonem haud me sinit. Valde tibi, inquam, Kænophile, ab ea eruptione timendum est. KÆN. Et ridere, & me irridere, pacta & conuenta seruare non est. COR. Inuenienda tibi est aliqua aduersus risum nostrum ἐχέγελως medicina. Nisi fortè risum nostrũ in ius vocare mauis. Sed qua lege aduersus eum ages? KÆN. Ludos & iocos diu me facitis. COR. Nónne dices, hoc à nobis more maiorum non fieri? At ecce tamen, more maiorum ridemus. KÆN. Pacta illa & cõuenta (vt video) tandem non in ventum, non in fumum, sed in risum abibunt. COR. Quid si verò & in ventum & in fumum & in risum abeant? MIS. Nimium (vt verum fatear) patientia Kænophili abuteris, Coronelle. COR. Tu Misokæne cum Kænophilo age: mihi cum risu agendum est. MIS. Vtigitur stem promisso, Kænophile, audi quod audire cupis. Quũ in aurem loquerer Coronello, eum monebã vt illorum memor esset tuo-

rum verborum, *nota est mihi intus & in cute Salustiana Latinitas*. Ac te ita loquuto, statim illa verba his subsequutus sum, *Nemini ergo melius notam credis, si intus & in cute notam tibi esse persuasum habes*. Ideo autem (nequid dissimulem) tua illa verba hoc sermone excipiebã, vt per eum memoriæ tuæ affigerentur. Ac continuo post insusurraui Coronello ea quæ modò dixi. Tum verò risus quem tegere cupiebamus, se prodidit. En tibi totam historiolam. Kæn. Vix inducere in animum possum, tanti risus materiẽ Coronello (nam tuus fuit moderatior) præbuisse illud loquendi genus. Mis. Audisti quid dixerit: agere me tecũ debere, sibi cum risu agendum esse. Adhuc autem (quantum video) cum risu negotium illi est. Exspectandum est donec cum eo trãsegerit. Kæn. Dic potiùs, exspectandum esse donec eum abegerit. Sed interim, quæso, Misokæne, in phrasim illam inquiramus, & an aliquid habeat propter quod tanto risu excipi debuerit consideremus. Mis. Vt ingenuè & liberè

tibi

tibi respondeam, videtur durum esse (ne quid grauius dicam) cutem Latinitati tribuere. KÆN. Immo ne durum quidem vocare hoc debes, sed tantummodo subdurum. Aut (si me Græcè loqui mauis) non πλησὺν, sed tantùm ὑπόπλησυν appellare. MIS. Dico quòd sentio, etiam si à te dissentio. KÆN. Quid? nónne metaphoræ libertas excusabile hoc reddit? MIS. Quemadmodum subdurum esse confessus es, ita subexcusabile dicere, satis fuisset. KÆN. At tibi, Coronelle, vnde tantopere displicet illud loquendi genus? COR. Initio saltem non displicuit, quum tanto ipsum risu prosequutus fuerim. Nam quę displicent, ac ea præsertim quæ valde displicent, lactymas, aut saltem dolorẽ, potiùs quàm risum, mouere consueuerunt. KÆN. Sed quædam sunt etiam quæ & displicent & placent. COR. Quomodo? KÆN. Eo nomine placent, quòd risum moueant: quum alioqui iudicij nostri palato displiceant. Ideóque fortasse dici possumus, simul ijs arridere & ea irridere. Sed video te Mi-

sokæno subinnuentem, & simul subridentem. Cor. Dic potiùs, videre mihi videor. Kæn. Immo nõ fallor. Cor. At finge tamẽ te falli. Kæn. Quid istud est? Mis. Non vult Coronellus à te hunc sermonem quæstione illa interrumpi. Eam postea mouere poteris. Kæn. At ego sermonem illum ad vmbilicum peruenisse existimabam. Sed Coronellum tibi iterum subinnuentẽ, iterum subridẽtem video. Mis. Vides quod ipse non video. Kæn. Sed quid additurus ad illum sermonem erat Coronellus? Vel potiùs, quid ad ea quæ dicta sunt à nobis de illo genere loquendi adiecturus erat? Immo teipsum cõpello, Coronelle. Mihi vera fatere, obsecro: tantúsne tibi tantilla de re ortus est risus? hoc enim (vt antea dixi) in animum nequeo inducere. Cor. Velut sacramento me adigis, quum Obsecro dicis: ideóque vera tibi fatebor. Mei quidem risus velut procœmium ex illo tuo genere loquendi ortum est; siue durum, siue tecum subdurum tantùm aut duriusculum esse dicẽdum est: sed

eum

cum risum excepit alius longè maior, ex recordatione eiusdem generis loquendi, cui tam mollis à quodam datus fuit vsus quàm durus dici potest is quē tu ei dedisti. KÆN. Hîc ne me diu μετέωρον relinquas rogo. COR. Quid ais? an, ne te diu circa meteôra relinquā, rogas? Suspicor animum tuum iam velut ἀεροβατεῖν, aut ἀεροδρομεῖν. KÆN. Si fueris tua in narratione ἀερολέσχης, reddes certè illum ἀεροβάτην, seu ἀεροδρόμον. COR. Immo illa circa corporea versabitur. Ac, ne te diu μετέωρον relinquam (iam enim me ἀκοῦσαι quod dixisti, volo ostēdere: non fingere me id παρακοῦσαι) accipe festiuissimam illam & ridiculosissimam historiam. Controuersia duos inter iuuenes orta est super quadā puella: quum de ea sparsus rumor quidam esset, quem vnus verisimilem, alter vero prorsus absimilem esse contendebat. Sed tandem ille, non παίζων, verùm ἁπλοϊκῶς σπουδάζων, Quid ais? (inquit) ego eam intus & in cute noui. At hic, Itáne? notior ergo tibi quàm mihi illa puella est. Quæ verba ingens risus est conse-

quutus. Quam historiolam isto epigrãmate sum complexus,

Est sermo iuuenes ortus hic inter duos,
Vtri puella notior quædam foret.
Aiebat vnus, tempore à longo sibi
Notam hanc puellam: aiebat alter hoc idem.
Aiebat vnus, Plurimos soles ego
Confabulando ei puellæ condidi:
Aiebat alter, Cordis hæc sui intima
Confabulanti sæpe nudauit mihi.
Aiebat vnus, Sæpe compransor fui:
At ipse concœnator haud rarò fui,
(Aiebat alter) sæpe collusor quoq;.
Allata vtrique multa quum tandem forent,
Sibi notiorem posset vnde euincere:
Tunc vnus, Ecquid hîc tot est verbis opus?
Intus puella hæc nota & in cute est mihi.
Hic alter, Ergo iam tibi iam do manus.
Hæc nanque propius quàm mihi, nota est tibi.

Kæn. Non iam miror quòd huius epigrammatis recordatio ad effusum adeo risum te compulerit. Ego, qui natura haud

haud sum æquè φιλόζελως, haud possum tamen ad huius epigrammatis recitationem non esse πολύζελως, aut (si mauis) πλατύζελως. MIS. Scire ex te cupio super hisce duobus versibus,

Aiebat vnus, Plurimos soles ego
Confabulando ei puellæ condidi,

annon imitationem habeant loci istius Virgiliani,

—— sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.

COR. Hunc ipsum certè Virgilij locum hîc imitor. Sed scisne quem Græcum poetam ipse Virgilius ibi imitetur? MIS. Nequaquam. COR. Scito igitur imitari Callimachum. In quodam enim eius epigrammate legimus,

—— ἐμνήσθην δ' ὁσάκις ἀμφότεροι
Ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν.

Sed obserua scribi à me κατεδύσαμεν: (quū antea scribi soleret κατελύσαμεν) quod planè respondet Latino Condidimus. Et verò illud meum *confabulando* optimè conuenit cum his Callimachi verbis ἐν λέσχῃ. KÆN. Sed non addis quò tan-

dem res euaserit: an effusus vester risus iuuenem hunc suæ phrasis tam incautè simplicis, aut tam simpliciter incautę (sed libentiùs ἁπλοϊκῶς quàm Simpliciter dicerem) admonuerit. Cor. Admonuit certè: & quidē ita vt ei tota facies rubore suffunderetur, & circūspiceret quò posset ὑπ' αἰδοῦς καταδυῦναι. Kæn. Erat sanè φεῦσις hæc valde ἄφρασος. id est, incogitanter ab ore emissa. Cor. Animaduerti multos qui idem omnino peccarent, id est, in eandem ęschrologiam inciderent: quum illa eadem simplicitate incauta vtentes, simul de muliere hoc sermone vterentur, Res mihi fuit cum illa. Non enim significare aliud volebant, quàm, aliquid negotij, siue commercij, cum illa sibi fuisse. Vnde ego huius itidem epigrammatij materiem deprompsi: simul illud loquendi genus, Intus & in cute nosse, ei accommodans.

Æquè mihi esse Claudiam putaueram
Notam atque tibi: sed cogor hoc negare iam.
Nam res, vt inquis, tibi fuit cum Claudia. Tibi

Tibi ergo nota hæc intus est & in cute.

MIS. Hæc epigrammata non tantùm risum auditoribus mouent, sed eos vt à mouendo de se risu caueant, monent. Neque enim dubito quin multis idem contingat quod mihi contigisse recordor: vt mihi rem cum quadam muliere, vel consuetudinem fuisse dicerem, quum significare vellem, aliquid negotij vel commercij cum ea mihi fuisse.

COR. Lusi & aduersus quendam, illa consuetudinis appellatione ita per imprudentem æschrologiam vtentem, hos versus,

Cum Lucia inquis antè consuetudinem
Tibi fuisse, & esse nunc cum Lælia,
Cum Cælia etiam, nec minùs cum Iulia.
Si vera loqueris (vera ceu loqui puto)
Nullas tibi aditus pateat vnquam ad fœminas.

KÆN. Meritò certè huic à te istud dicebatur; quum esset tam periculosus, vt pote adeo consuetudinarius: si mihi per iocum ita loqui audendum est.

COR. Nunquámne obseruastis, quosdam & in nostrate sermone ad eun-

dem ridiculæ æschrologię lapidem impingere? KÆN. Hoc me obseruasse non memini. MIS. Nec ipse. COR. At verò à me obseruatum queo affirmare: ac audiuisse qui dicerent, *I' ay eu à faire à elle*. quod loquendi genus (vt nostis) sonare potius debet, Consuetudinem habui cum illa (intelligendo de consuetudine venerea) quàm, Mihi aliquid cum ea negotij fuit. KÆN. Cur ita oculos in me vertis Misokæne? MIS. Subinnuo tibi, animaduertendum esse hunc in nostrate sermone lapsum: simúlque ex te quæro tacitè annon tibi huius sis erroris conscius. KÆN. Nequaquam. MIS. At ego me eius esse mihi conscium fateor: (quod in mentē haud venerat dum Coronellus nos interrogaret) ac multos habere me in eo socios, optimè noui. Sed quemadmodum non dubito quin nonnullis risum hic meus lapsus mouerit, ita erunt qui suo risum mihi (facto nunc obseruatori, quum ab alijs antea obseruarer) mouebunt. COR. Magna certè cautione vtendum esse in sermone, quum de

de fœmineo sexu loquimur, ostendit & aliud quoddam meum epigramma. Est enim aduersus quendam, qui non animaduertebat, se fines huius generis loquēdi κοινὸς Ἑρμῆς, latiùs quàm par esset extendere: vt pote fœmineū etiam gen°, vel potiùs è fœmineo genere aliquā, sibi κοινὸν Ἑρμῆν esse volentem. Sed illud epigramma nescio ὅπου τᾶς φρενὸς ἐμᾶς γέγραπται. KÆN. Tu antea nobis risum, & quidem affatim, mouisti: at nunc pro risu desiderium risus moues. COR. Epigrammatis huius desiderium sit vobis eius loco. MISOK. Quî fieri id potest? COR. Huius rei desiderium esse vobis poterit eius loco, dummodo ita eam desideretis vt tamen vos eam habere imaginemini. MIS. Ad impossibile per impossibilius (vt vulgo loquuntur) viam nobis aperis. KÆN. At ego, liberiùs loquens, dicam, ἄτοπον quiddam tibi excidisse, Coronélle. Quomodo enim idem aliquis desiderare potest, & imaginari se habere? COR. Non minus verè quàm liberè loquutus, es, quum dixisti ἄτοπον quiddam mihi excidisse:

sed magnum me vobis excusandi desiderium (quum alteri meo desiderio implendi vestrũ desiderium haud possim satisfacere) fecit vt illud mihi excideret. KÆN. Si fortè memoria tua iam nunc soluendo non est, nos eius rei rationem habebimus: téque minimè vrgebimus. COR. Immo memoria mea nihil vobis debet. KÆNOPH. Nec verò intellexi, soluendo nobis, sed soluendo tibi. COR. Sinite me cum ea agere, atq; interim hunc nouum modis omnibus librum euoluite. MIS. Tibi, Kænophile, non mihi, gratificari voluit Coronellus. KÆN. Cur id ais? MIS. Quoniam non mihi, nouitatis literariæ osori, (non tamen tanto quantum me existimas) sed tibi illius amatori, conuenit liber nouus: præsertímque modis omnibus nouus: vt eum appellat Coronellus. KÆN. Iam animaduerto, eum non absque ratione de hoc libro ita loqui. MIS. Is ad nos reuertitur. Iámne cum tua memoria egisti, Coronelle? COR. Cum ea egi & transegi: ac,

egi: ac, quum soluendo nõ esset nisi ex parte, supplementum aliunde curare me oportuit: vt totam κοινῦ Ερμῦ summam haberetis. Hæc iam vobis à me numerabitur.

AVlus solebat κοινὸς Ερμῆς dicere,
Obtigerat eius quum sodali quid boni:
Quocunque doni genere donatus foret.
Donarat illi siue quis pecuniam,
Donarat illi siue pannum sericum,
Donarat illi siue vasa argentea,
Aliúdve, gaudet quo supellex splendida.
Puellæ amore nunc sodalis captus est,
Puella amore capta nunc sodalis est:
Ille anteuertens, κοινὸς Ερμῆς mussitat.
Sed tum sodali bilis erumpit probo,
Et, χαινὸς, inquit, κοινὸς hic Ερμῆς quis est?

KÆN. Bellè sanè ac festiuè talis κοινὸς Ερμῆς, simul etiam χαινὸς ab illo sodali vocatur. Nec ipsemet Ερμῆς, à quo ille κοινὸς Ερμῆς nomen habet, legere carmen hoc posset quin istud κοινότητος genus & magno risu exciperet, & interim damnaret: si modò boni & integri iudicis fungi potiùs officio, quàm vnum è minimè tetricis dijs ostendere se vellet.

MIS. Sed quid si AVlus ille in hac petitione ἁπλοϊσταδιω iudicandus est? quid si ἁπλοϊκῶς, καινὸν etiam illum κοινὸν Ἔρμῆν petijsse existimãdus est? Nempe quòd moris sui obliuisci non posset, & eum ibi quoq; seruaret vbi minimè seruándus erat. KÆN. Nihil magis dolo malo iurisconsultorum repugnat quàm τὸ ἁπλοϊκόν. Interrogandi igitur essent iurisconsulti an nihil doli mali interueniſſe censerent. Quòd si doli mali vel hilum interueniſſe responderent, iam ad illud τὸ ἁπλοϊκὸν nullo confugi modo posset. COR. Vestrum erit iurisconsultos conuocare, eorúmque responsa audire: sed quæcunq; aduersus hunc AVlum sententia feretur, eadem aduersus alium quendam ferenda erit, cui nomen Afer. Hic enim à Paulo sodale suo κοινὸν ἔρμαιον petere solitus (nam κοινὸν ἔρμαιον vocabat quod AVlus ille κοινὸν Ἔρμῆν) tum etiam petijt quum illum ducere vxorem vidit. MIS. Idem quod AVlus videri poterit feciſſe hic Afer. KÆN. Immo magis quàm AVlus meritò videatur excusabilis: quum verisimile

mile sit, eum, petentem κοινὸν ἔρμαιον, non aliò quàm ad dotem quam acceperat aut accepturus erat Paulus sodalis, respexisse. At de AVlo idem dici nequaquam potest, quum dubiæ essent nuptiæ, ac non ageretur de potienda puella per nuptias, ideóque ad dotem minimè veniretur. COR. Immo ne hic quidem Afer dici queat eam quam putas excusationem mereri: quoniam nõ contentus petijsse κοινὸν ἔρμαιον eo die quo dos numerata fuerat, eo quoque die poposcit qui nuptijs dictus erat. KÆN. AVdiendum esset ipsum carmẽ, vt de hoc Afro iudicium tutò ferri posset. COR. Per me non stabit quin audiatis. KÆN. Multo certè minus stabit per nos. Ac, si hoc quoque recitaueris, hoc erit, illi dono quod recitatione alterius accepimus, ἐπίμετρον quoddam προσχαρίζεσθαι. MIS. Quòd si recitationẽ non distuleris, erit ipsi etiam ἐπιμέτρῳ aliquid ἐπιμετρεῖσθαι. Quare & hoc velim facias, illius prouerbialis versus memor,

Ἀ χάρις ἀ βραδύπους ἄχαρις ὀξὺ χάρις.

Cor. Si paratæ sunt aures vestræ audire, paratus sum ipse recitare. Mis. Nunquã paratiores ad quidquam audiendum fuerunt. Cor. Tantùm monere de hoc volo, iambicos scazontas alijs intermixtos esse.

Petebat Afer κοινὸν ἔρμαιον *sibi,*
Redibat ære quum grauis domum Paulus,
Quod liberalis dederat ipsi dextera.
Et paulo amici dona quum darent multa
Iani calendis, illa quæ strenas vocat
Latina lingua (nostra quod tenet nomẽ)
Non ille κοινὸν ἔρμαιον *tunc vnicum,*
Sed poscere simul κοινὰ *multa* ἔρμαια.
Paulus quum amici morte legatarius
Esset, petebat κοινὸν *Afer* ἔρμαιον.
Venationis empta si laboribus
Pulmenta Paulo fortè viderat missa,
Ἔρμαιον *ille* κοινὸν *hic exposcere.*
Præstantis aliquis quando miserat vini
Amphorulam, adesse mox solebat Afer hic,
Et petere κοινὸν *hic sibi dari* βάκχον.
Fuerat vocatus Paulus ad conuiuium?
Et hic petebat κοινὸν *Afer* ἔρμαιον,
Prandere tanquam posset ille & alteri,

Prandere

Prandere quamuis quis solet sibi tantùm.
(Pati repulsam sed necesse tunc erat,
Clamante Paulo, Pransor & tibi vis sim?
Iungatur ergo fac meo ventri tuus:
Tibi remittā hunc optimè cibis fartum)
Formosa, diues virgo quū tandem foret
Despōsa Paulo, haud immemor sui factus
Afer, soluta magna quo dos est die
Venit: suóque more κοινὸν ἔρμαιον
Paulum poposcit. nec repulsam passus est.
(Fuerátque passus antea semel tantùm,
Ventres habēdi quum duo Paulo forent)
En, nuptialis aduenit dies Paulo:
Nec moris Afer immemor sit hîc sui,
Sed nuptiale κοινὸν *ambit* ἔρμαιον.
Tunc Paulus, A me κοιναὶ *sunt tibi data*
Ἔρμαια *multa. Quo forent modo danda*
Multa illa, noram: debeam sed quo modo
Dare istud, haud scio, atque scire me nolo.

KÆN. Comperio rem ita se habere de isto Afro vt dixisti: ne huius quidem κοινὸν ἔρμαιον posse excusabile, tanquam dolo malo carens, videri. Sed hoc Trebatijs disceptandū relinquamus. MIS. In hoc versu, qui vltimus est, vbi dicitur, *atq; scire me nolo*, cur pronomē istud

adijcitur? Cor. Archaismus est, qualis in illo Salustij loco, de quo dictum fuit, *qui sese studeant præstare cæteris animātibus*. Mis. Est igitur hic archaismus ex eorū genere quib. tibi permittis vti. Cor. Est sanè. Mis. In versu autē qui à fine est quintus, in hoc inquā, *Sed nuptiale* κοινὸν *ambit* ἑρμαιον, cur non *petit* aut *poscit*, sed *ambit* dicis? Cor. Alludo ad illud genus loquendi, Ambire nuptias. Kæn. Dum vis, Misokæne, Coronellum rationem minuti cuiusdam archaismi tibi reddere, & de nescioquo alio verbo tibi respōdere, ego aliud multo maius cogito. Mis. Quid illud est? Kæn. Cogito de agendis Coronello gratijs quòd tot κοινὰ ἑρμαια Auli & Afri, etiam nobis κοινὰ facere dignatus fuerit. Nónne vis tuo quoq; nomine hoc gratiarum actoris fungar officio? Mis. Quidni velim? Kæn. O quantum tibi pro hoc quoq; merito debemus, Coronelle, quòd κοινὰ nobis etiam facere tot κοινὰ ἑρμαια dignatus sis. Ingentes igitur tibi nos agere hac de re grates profitemur.. quinetiam hoc addimus, nunquam

quam nos ἑρμοῦ recordaturos quin tuorum κοινῶν ἑρμαίων recordemur. Verùm ad Paulũ istum quod attinet, tot ἑρμαίων datorem, illi versus hic potuisse objici videtur,

Lentus es, & pateris nulli patienda marito.

COR. Nimium certè esse mite, & marito solùm lento ac nimium patienti cõuenire eius responsum iudico. Haud ita mite à te accepisset, Philokęne, si bene te noui. KÆN. Respõdebo tibi Flacci verbis,

Non ego hoc ferrem calidus iuuenta.

Verùm antequam hunc sermonẽ missum faciamus, scrupulum quendã mihi velim à te eximi, Coronelle. COR. Estne ex eorum genere qui eximi à me possunt? KÆN. Est omnino. nam circa cõscientiam literariam versatur. COR. Semper aliquid noui ex te disco. noua enim mihi res, conscientia literaria. KÆN. Appellatio potiùs quàm ipsa res, videri noua debet. Quo modo autem significare breuiùs possis eam cõscien-

tiam, in cuius foro lites ad literas pertinentes agitantur? Cor. De hac mystica circa literas conscientia, déq; mystico eius foro (in quo lites infinitæ agitãtur, si omnes ad id referri necesse est) ἄλλος λόγος: at tu iam ad illũ scrupulum veni. Kæn. Cõscia sibi esse videtur mea conscientia cuiusdam è sermonis Græci legibus (& quidem ijs quæ circa prouerbialia loquendi genera versantur) à te violatæ. Cor. Siquam violaui, id non consultò, sed imprudens, feci. At quænam ea est? Kæn. Quæ iubet κοινὸς Ἑρμῆς prouerbialiter dici, κοινὸν ἕρμαιον dici non iubet. Atque adeo me κοινὸς Ἑρμῆς sæpissime legere memini, κοινὸν ἕρμαιον legere, nullus memini. Cor. Sed dicere quod lex dicere quidem non iubet, sed nec prohibet, éstne legem violare? Kæn. Non est legem violare, si quidem iudicari debeat, ita vnum iuberi vt alterum non prohibeatur. Sed in plurimis legibus contrà vsuuenire nosti. Cor. Vt omittam, aliam esse naturam legum literariarum, (& earum nominatim quæ ad sermonis castitatem seu purita-

puritatem, spectant) quàm ciuilium: non violat legem quampiam qui aliud facit quàm quod ea iubet: si modò quod facit, ei quod iubet nequaquam est repugnans. MRS. Apage, apage istud φιλοσόφημα: vel potiùs ei finem impone: atque ad rem veni. Nam & ipse (vt verum fatear) eodem quo Kænophilus scrupulo liberari cupio. COR. Vt igitur vtrique vna eadémque opera eundem scrupulum eximam, fateor illam loquendi formam eo videri posse magis legitimã, quòd multo magis sit vsitata: (& quidẽ ea me in priore epigrammate vsum esse videtis: cuius initium est, *AVlus solebat* κοινὸς Ἑρμῆς *dicere*) sed inueniri etiam κοινὸν ἕρμαιον meus Thesaurus Græcæ linguę, vt opinor, testabitur. Atque ad hoc ipsum loquendi genus allusisse videri queat Synesius, vbi dixit, ἡμῖν τὸ ἕρμαιον κοίνωσαι. Quemadmodũ tamẽ aliquid nouitatis habet κοινὸν ἕρμαιον, pro κοινὸς Ἑρμῆς, ita vicissim τὸν ἑρμῆν κοίνωσαι, pro τὸ ἕρμαιον κοίνωσαι, aliquid habere nouitatis videri fortasse potuisset. KÆN. Sunt certè & ipsi κοινῷ Ἑρμῇ à nobis agen-

dæ gratiæ. absque illo enim fuisset, illa περὶ τοῦ κοινοῦ ἕρμαιον iocandi & nos ea iocatione tantopere exhilarandi occasio tibi defuisset. MIS. Sed gaudeo & scrupulum illum nobis esse exemptum. Quod vtinam omnes ex omnibus cõscientijs scrupuli tam paruo negotio auellerentur, exstirparentur, eradicarẽtur. Sed de vanis tãtùm scrupulis (quacunque de re sint) loqui me scitote. KÆN. Cautè feciſti quòd istud sermoni tuo adijciens, exceptione vsus sis. Alioqui enim tuo Vtinam meum acclamaturus non eram (quod nunc in pectore facio) sed contrà in tuum illum sermonem nota censoria vsurus.

COR. Quoniam in scrupulorum literariorum mentionem incidimus, statim post illum de loquendi generibus sermonem quæ æschrologiam habent: etiam de alijs scrupulis dicendum est, qui literarij quidem sunt & ipsi, verùm ita versantur circa verba, vt circa rem quoque versari dici possint. Quæ enim æschrologiam habent, eorum vnumquodque non solùm inijce-

re

re scrupulum debere videtur circa verba, id est, circa ipsum loquendi genus, dubitando an satis Latinum sit: sed etiam circa rem ipsam: vt videlicet dubitatio oriatur annon ęschrologiam quãtum fieri potest vitare oporteat. Ad me quidem certè quod attinet, quemadmodum quidam verba obsoleta tanquam scopulum vitanda censuerunt (nonnulli verò & de quibusdam alijs idem dixerunt) ita ego cauendum esse linguæ arbitror ne in æschrologiam, tanquam in alium quendam scopulum impingat: ac huiusmodi scopulum, scrupulum haud paruum ipsi linguæ, (sed menti priùs) debere inijcere. KÆN. Ego ita esse vitanda puto illa loquendi genera quibus æschrologia subest, vt tamen non damnentur sed potiùs excusentur ij qui aliquãdo in illa incidũt. Quem verò scrupulum ei potest inijcere qui ἀπλοϊκῶς (vt antea loquuti sumus) ea vtitur? MIS. Hoc saltem nemo negauerit, quo sit latentior æschrologia, eo excusabiliorem debere haberi. Velle autẽ vel æschrologiæ vmbrã quæ

alicui verbo subsit, damnare, nimis Areopagiticum esse iudicium censeo. Vix enim est qui aliquando in illud vitium (aut in eius saltem vmbram, vt iam loquutus sum) simúlque in auditorum risum non incidat: ex ijs etiam qui nihil minùs quàm sermonē suum risu exceptum iri putabant. Cor. Sed tibi respondebitur, haud esse sapientis, dicere, Non putaram. Kæn. Vide, Coronelle, ne in teipsum legem iniquam (vt ille loquutus est) censuisse dicaris. Cor. Cur hoc ais? an propter illa verba, Dicere, non putaram, haud esse sapientis? Kænoph. Scio prouerbiale istud esse dictum (& magis prouerbiale quàm semper verum esse existimo) minimèque ad illud respicio. Cor. Quónam igitur? Kæn. Ad illam tuam adeo rigidam de illis loquendi generibus, aut potiùs in illa loquendi genera, censuram. Cor. Intelligo quid velis. Innuis fieri posse vt in eorum quodpiam lingua mea incidat. Equidē istud haud nego, sicut hominem me esse scio, ita humani à me nihil alienū existimare:

ſtimare: vix tamen eſſe arbitror qui in ſermone ſerio hanc in reprehenſionem ratiùs incidere dici poſſit. KÆN. Caue ne nimium ei quam adhibes cautioni, ſimúlque tuæ memoriæ, fidas. COR. Suſpicor me tibi huiuſmodi cuiuſpiam lapſus eſſe compertum. Alioqui enim hoc ſermone (vt opinor) haud vteretis. MISOK. Mentem quoque meam ſubit idem ſuſpicari. KÆN. Satius eſt te à me compertum alicuius erroris huiuſmodi (ſiue lapſus, vt ipſe appellas) quàm vel leuiſſimi criminis, teneri. COR. Scire tamen cupio vbi in illum inciderim. KÆN. Vbi ita loquutus es, *Controuerſia duos inter iuuenes orta eſt ſuper quadam puella, quum de ea ſparſus quidam rumor eſſet.* COR. O quàm tu es circa meum ſermonẽ Lynceus. Memini ſanè voluiſſe me ita loqui, *Controuerſia duos inter iuuenes orta eſt de quadã puella, quum de ea ſparſus quidam rumor eſſet:* verùm illa voculæ *de* repetitio vitanda mihi viſa eſt. KÆN. Quàm libenter ei quod hîc à te dicitur, Horatianũ quẽdam verſum ſuccinerem! COR. Quem-

cunque voles Horatij versum illi meo dicto vel succine, vel accine, vel intercine. Kæn. Vnicus est quem aptè succinere illi tuo dicto possem, ideóque libenter succinerem: sed metu quodam qui ex reuerētia oritur, retineor. Cor. Quem esse putas illum versum, Misokæne? Miso k. Dicam quod suspicor: Quum dixisses, illam particulę *de* repetitionem vitandam tibi visam esse, statim in illam exclamationem prorupit, O quàm libenter ei quòd hîc à te dicitur Horatianum quendā versum succinerem. Suspicor itaque, illum de quo loquitur versum, esse hunc,

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Nihil tam verisimile est, vt eo quod à te dicitur verisimilius dici possit. Kæn. Quid arcani est quod in aurem à vobis dicitur? Cor. Nihil arcani est: sed loquimur de eo versu ad quem à te respici credibile est. Kæn. Non dubito quin assequi coniectura eum potueritis. Quòd si dixeritis quem illa vobis suggerat, ego, sitis εὐστοχοι an ἄστοχοι, verè respon-

respondebo. COR. Suspicatur Misokænus (& me consuspicantem habet) eum quem in me distringere volueris versum, hunc esse,

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

KÆN. Non ἄσοχοι sed εὔσοχοι estis. Verùm propter illam vocem *stulti* eum proferre non audebam. Actandem de mutãda voce illa cogitare incipiebam. COR. Quomodo igitur eum versum efferre volebas? KÆN.

Dum vitant multi vitia, in contraria currunt.

Aut certè hoc modo,

Dum vitant quidam vitia, in contraria currunt.

Sed prior illa mutatio magis arridebat. Vtrocunque autem modo mutassem, & tuam offensionem vitassem, & Horatiano versui iniuriam non feciſſem. COR. Immo Horatiano versui iniuriam, ita versum eius mutando, feciſſes. Quam autem eius versui feciſſes, is sibi factã interpretatus meritò esset. KÆN. Atqui hãc mutationẽ sub parodiæ præ-

rogatiua mihi permisissem. Cor. Excusationis loco, sed frigidæ, istud tibi fuisset. Verùm (vt missum ea de mutatione sermonẽ faciamus) videre mihi videor quo tu sensu illud Horatij dictum conuerti in me posse existimares. Tua enim est hęc sententia, me, vt illud repetitionis quod dixi vitium effugerem, in aliud, in æschrologiam videlicet, incidisse. Nónne ita sentis? Kæn. Ita sentio. Cor. Sed existimásne illud æschrologiæ vitium, (quod tu quidem illi meo sermoni subesse opinaris) præuisum à me fuisse? Kæn. Nequaquam. nihilo certè magis quàm is qui *incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim*, in Scyllam sibi præuisam incidisse existimatur. Nec ipse Horatij versus ita est accipiendus. Ac, etiamsi de nonnullis posse illud dici putaretur, in te nequaquam locum haberet: quum tantum absit vt illud æschrologiæ vitiũ, in quod sermo tuus incasurus erat, præuideris, vt ne agnoscere quidem eum in illo velis. Id enim vel ex ijs quæ modò dixisti animaduerto. Cor. Agnoscerem, si agno-

si agnoscendum esse putarem. Sed quæ vel æschrologiæ vmbra illi subesse sermoni dici potest? Iterum (obsecro) is à te recitetur. KÆN. *Controuersia duos inter iuuenes orta est super quadam puella, quum de ea sparsus quidam rumor esset.* COR. Quid tibi videtur, Misokæne? MIS. Interroga potiùs me, Quis tibi videtur Kænophilus? COR. Tuum sequar cõsilium, (tuum enim imperium nolis me dicere) ac, quo vis interrogari modo te interrogabo. Quis tibi videtur Kænophilus, Misokæne? KÆN. Nimium nunc religiosus ea in re mihi videtur, in qua sępe parum est religiosus. Ac (nequid dissimulem) quemadmodum in te conuertit quendam Horatij versum, ita tu, par pari referens, possis hunc eius locũ in eum torquere,

Quum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorũ vitijs tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Cuius loci vt recordarer fecit nuperus quorundam sermo, tuæ verbi *peruideas*

expositioni nõ solùm acquiescentium, sed etiã valde eam laudantiũ. De ea loquor expositione quã vni tuarũ in Horatium Diatribarum (quæ tuæ editioni huius poetæ subiunctæ sunt) mandasti. KÆN. Miror ego non animaduertere vos, quorundam mentibus aliquid obscœni posse obuersari, dum versabunt illa tua verba, in quæ nunc à me inquiritur. MIS. Quid si Venetijs audires quosdam dicentes se sponsionem super huius aut illius mulieris ventre fecisse? Hoc enim omnino Italicá illorũ verba sonant: vt tu quoque, Coronelle, ignorare non potes, quum tanto ibi tempore versatus sis. KÆN. Si eum sermonem audirem, dicerem, quicquid esset quod illo sermone significaretur, id αἰγῶς dici. Sed quod neuter vestrum ignorat, facite vt à me pariter nõ ignoretur. MISOKÆN. Moris est in Italia, sed Venetijs præsertim (fuit saltem & meo & Coronelli tempore) de grauida muliere sponsione certare, marem an fœminam sit paritura. Ac, cuius diuinatio apud vnum de fœmineo sexu

est,

est, apud alterum de masculeo esse solet. Hoc autem illud est quod vocant Sponsionem super ventre fœminæ alicuius facere. KÆN. Miror quomodo diuinatione assequi illud possint: equidem ne istud quidē diuinassem, quidnam ipsis sermo hic significaret. MIS. Verùm an nunc quoque tibi videtur illud ἀνάχωρ' dici? Nunc quoq; inquam: id est, postquam intelligis quid eo significetur. KÆN. Video, te non recordari eius quod antea dictū à me fuit, priusquā sermo ille mihi exponeretur. Dixi enim me responsurum, illud ἀνάχωρ dici: quidquid esset quod illis verbis significaretur. Et quid, quæso, eos ita loqui cogit, Sponsionem super ventre alicuius mulieris facere, quum aliter loqui possint? Immo verò quum Super ventre duobus intelligi modis possit, quorum vnus tātùm obscœnitatem habet, illorum contrà sermo aliud quàm Supra ventrem sonare haud potest. MIS. Etiamsi ita loquentes Venetos excusationem non mereri tibi darem, at de illo Coronelli sermone nequaquam id

dicerem. Cor. Fœmineus ille Venetorum venter (hæc enim breuitas obscura vobis esse non potest) fecit vt mihi in memoriam veniret quidam Digestorum titulus, *De inspiciendo ventre.* Hoc de titulo miror quid dicturus sis, Kænophile. nam & hîc de fœmineo ventre agitur. Mis. Vide etiam atque etiam quid respondere debeas: ne te apud iurisconsultos insimulemus. Kæn. Minitabunda aut saltem cum minis coniuncta est hæc interrogatio: nec aliud de ea possum dicere, quàm velle vim conscientię meæ afferre. Mis. Dic potiùs illam hoc videri velle, sed tamen nolle. Iocantis est enim, haud seriò loquentis. Kænoph. Meam igitur παῤῥησιαστικὴν audite sententiam. Quamuis res de qua agebatur posceret vt ventrem esse inspiciendum diceretur, tamen ipso in titulo alijs verbis meliùs vsurum fuisse iurisconsultum, aut vsuros fuisse iurisconsultos, aio. Cor. Scio cur hoc à te dicatur. Kæn. Ne dic, Scio: sed tantùm, Scire me puto. Fieri enim potest vt fallaris: quemadmodũ optimè

optimè nosti. Sed age, dic quidnã illud sit cuius causa dicta me illud existimas. COR. Propter iuuenes istos, iuris ciuilis partim studiosos, partim studiosis similes: aut studia iuris quo iure qua iniuria præ se ferentes. Vix enim vllus est titulus quem magis in ore, simulque in ioco, habeant. KÆN. Ex parte tantùm meam mentem assequutus es: sed eo quod assequutus es te contentum esse velim. COR. Ego iurisconsultorum saltem verbis tantum reuerentiæ deferendum esse censerem, vt quod αἰχρὸν in alijs vocaremus, in ipsis αἰχροφανὲς solùm appellaremus. KÆNOPH. Eodem nimirum modo, siquid in eorum Latinitate σόλοικον comperiretur, σολοικοφανὲς tantummodo dicendũ censeres. COR. Ex altero illo quod dixi istud minimè sequitur. KÆN Quidni, etiam si non sequatur, tamẽ iam illud ipsis χαριούμενον, hoc προσχαείζεσθαι velis? COR. Parum autoritatis hæc à me vno profecta gratificatio haberet KÆN. Verùm dic ingenuè, annon, sicut tu ipsis in altera illa re es gratificatus, ità me tibi in re simili

rem facere gratam velis. Hoc autem fecero si tuum illum de quo dictum fuit sermonem, aliquid ἀληθοφανὲς potiùs quàm ἀληθὲς habere dixero. Cor. Non tam mihi quàm ipsi veritati, ita loquendo, gratificaberis.

Cor. Sed quē tu hîc librum quæris? Mis. Ciceronis epistolas ad familiares: quæ perperam epistolæ familiares vocantur. Cor. Suspicor propter quā epistolam illud opus quæras. Mis. Facile est suspicari. Cor. Nimirum legere vis aliquid in epistola illa libri IX, cuius initium est, *Amo verecundiam*. Mis. Non fallitur coniectura tua. Cor. En tibi librum illum. Mis. En tibi illam Ciceronis ad Papirium Pætum epistolam. *Amo verecundiam, vel potius libertatem loquendi. Atqui hoc Zenoni placuit, homini mehercle acuto: etsi Academiæ nostræ cum eo magna rixa est. Sed, vt dico, placet Stoicis suo quaq; rem nomine appellare. Sic enim disserunt, nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu.* Obseruandum est, hāc epistolam, sicut incipit ab his verbis, *Amo verecundiam*: ita etiam scriptum esse

esse non procul à fine, *Ego seruo & seruabo (sic enim assueui) Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi quæ apertissimis agunt Stoici.* Non immeritò autem miretur quispiam, Ciceronem, quum istud & in fine huius epistolæ profiteatur, tamen in principio, postquam dixit, *Amo verecundiam*, subiungere, *vel potiùs libertatē loquendi*: quum vnum alteri sit contrarium. Hinc certè fit vt aliquando suspicatus sim scripsisse Ciceronem, *Amo verecundiam: tu potiùs libertatem loquendi.* aut saltē aliud quàm *aut*: ita vt de se vtrunque minimè dicat. Quinetiā putaui posse & ita scribi, *Amo verecundiam, alij potiùs libertatem loquendi.* Quid vobis hoc de loco videtur? COR. Si non vera, verisimilis est saltem & hæc & altera illa tua coniecturalis itidem lectio. KÆN. Eadem est mea sententia. MIS. Sed non habes hîc Coronelle, aliam quampiam libri huius editionem? COR. Aliam hîc quidem habeo nullam. MIS. Hîc igitur pessimè instructus es libris, quū alibi sis optimè. COR. Quid mirum? Hîc enim vix alijs

quàm commodatis libris vtor. Scis autem nostrate prouerbium, *Il ne choisit pas qui emprunte.* Sed videre libet vnde prodierit ista editio. Colonia prodijt, anno M. D. LVII. ex officina Gualteri Fabricij, iuris. CORONEL. Non abs re suspecta mihi est ista editio: quum& statim post occurrat *Atqui*, quod locum vocis *Atque*, scriptura valde vicinæ, sed vsum contrarium habentis, occupare videtur. Legimus enim hîc, *Atqui hoc Zenoni placuit, homini mehercle acuto: etsi Academiæ nostræ cum eo magna rixa est.* MIS. Etiam istud facessit mihi negotiũ, quòd Zenonem esse hominem acutum dicat, etiamsi Academiæ suæ magna cum eo rixa sit. Nec enim Zeno, propter magnam illam quæ ei cum Academia erat rixam, minùs acutus videri poterat. Aut (si me ita loqui mauis) magna illa rixa quæ Zenoni cum Academia erat, videri nõ poterat obstare quominus homo acutus esset. COR. Ego perinde esse puto acsi à Cicerone diceretur, *Atque hoc Zenoni placuit, homini mehercle acuto. Hanc e-*

nim

nim laudem ei tribuo, (vel, *eum enim hoc nomine laudo*) *etsi Academiæ nostræ magna cũ eo rixa est.* KÆN. Id voluisse Ciceronẽ probabile est. Sed ecce, ad illud epistolæ huius principium, & quidem ad prima huius verba, quod attinet, tertia quædam lectio mihi venit in mentem. Tertiam voco quę duabus illis à te Misokæne propositis addi potest: ita quidem vt optio deinde detur. MIS. Quęnam illa est? KÆN. Hæc: *Amo verecundiam: velles potiùs libertatem loquendi. Atque hoc Zenoni placuit.* Credibile est autem, eum qui lectionẽ hanc in alteram illam mutauit, eo quoque in errorem impulsum fuisse, quòd verbo *velles* nulla vocula antithesi conueniens præfixa esset: hoc modo, *at velles potiùs libert.* vel, *at tu velles potiùs lib.* aut etiam ita, *tu tamen velles p.* COR. Et mutatio hæc vocis *velles* in particulam *vel*, facilis lapsus fuit, & rationi consentaneum puto vt vox illa *velles* hîc scribatur. Alioqui enim idem dicet & statim negabit Cicero: quum tamen id eum negare nolle ostendant illa quæ ex fine epistola-

læ allata fuerunt verba, *Ego seruo & seruabo (sic enim assueui) Platonis verecundiã.* Mis. Quod ais, idem dicturum & statim negaturum esse Ciceronem, existimarunt ij qui à correctione illum hîc exordiri annotarunt. Quod & adscriptum huius editionis margini est: sic tamen vt & alîus exordij fiat mentio. Hæc enim verba margini apposita hîc sunt, *A correctione exorditur, vel à sententia Stoicorum.* Atquî falsum (meo quidem iudicio) vtrumq; est. Dicere enim, *Amo verecundiam*, non est à correctione exordiri: sed nec à Stoicorum sententia, quũ hæc amori verecundiæ omnino repugnet. Et verò, ad correctionem quod attinet, (quam figuram διόρθωσιν vel ἐπιδιόρθωσιν vocant Græci, & quidem frequentiùs hac quàm illa appellatione vtentes, si bene memini) quî fieri posset vt ea primis Ciceronis verbis adhiberetur? quum necesse sit vt correctionem præcedat id quod corrigendum est, aut certè corrigendũm esse existimatur. Kæn. Video præfixum etiam esse argumentum huic epistolæ;

sicut

sicut & cæteris: recita (quæso) nobis illud. MIS. Recitatione parum dignum mihi videtur: recitabo tamen. *Faceta disputatio, nec (vt apparet) affectata. Est autem tota pro sententia Stoicorum: qui nullum verbum inhonestum putabant, cuius significatio erat honesta. Laudat tamen postea Academicos, vtpote verecundiæ amatores.* KÆN. Primùm hoc miror, cur de hac disputatione addat, minimè affectatam esse: quasi verò aliquis id suspicaturus sit, aut saltem id suspicandi materiem sit habiturus: præsertim quum in epistolæ fine scribatur, *Quàm multa ex vno verbo tuo! Te aduersus me omnia audere gratum est.* Ex quibus coniicere etiã est, Pætum Stoicorum sententiæ fauisse, aut fauere se simulauisse. Deinde miror cur dicat disputationem totam esse pro sententia Stoica: quum rationes quidem afferat quibus vtuntur Stoici; sed, tanquam illis non acquiescens, ad suam verecundiam reuertatur. Suam, inquam: id est, cuius se amatorem esse professus erat. Præterea verò ambiguè

refert Stoicorum sententiam: quum illi non distinguerent ita inter verba, vt quorundam significationem, honestam, quorundam, inhonestam esse dicerent: sed, quum omnino negarent vllum esse obscœnitatis flagitium in re, id intelligerent de re quæ significabatur. Quisnam est autem argumenti huius, sicut & aliorum in alias epistolas scriptorum, autor? MIS. Quidam Gibertus Longolius. At ex Christophori Longolij, eloquentissimi oratoris (hic enim titulus illi datur) castigationibus dicuntur esse recogniti illi epistolarum familiarium (quum potiùs epistolarum ad familiares dicendum sit) libri. Neque verò *argumenta*, sed *lemmata* vocantur, in ijs quæ quoddam ad lectorem super illa editione epistoliolum typographi Colonienſis Gualtheri Fabricij sequuntur. KÆN. Mihi, quamuis vt nomine, sic etiam re ipsa, nouitatis amatori, nouitas hæc tamen haud placet. COR. Nouitatem hãc à re improbari probo.

MIS. Propemodum oblitus eram cuiuſ-

cuiusdam rei, quam ex te, Coronelle, intelligere cupio: annon hæc epistola, sit ea vnde expungi debere illa vocabula, *Stultorum plena sunt omnia*, te ante multos annos dicentem audiui. COR. Est ipsissima. Quàm enim absurdum videtur credere, Ciceronem hæc verba suo de Stoicis sermoni, modesto alioqui, inseruisse: tam credibile est, lectorem quempiã, stultitiæ damnantem istam Stoicorum disputationem, continere se non potuisse quin ea verba margini adscriberet: tanquã eam illis, quantum in se esset, conspurcaturus: aut saltem suum de ea stomachum euomiturus. Et verò, vt sua dabatur Stoicis talia de sua loquendi libertate disputandi libertas, quidni ea legentibus liberum vicissim esset, disputationem illam, stultam appellare? Sic autem & apud cæteros scriptores vsuvenit. nam sicut ipsis est liberum, scribere quidquid volunt: ita lectoribus licet, quidquid libet de eo quod legerint interloqui, aut ipsius libri margini adscribere. Plerunque autem

non in scribentem hæc vel illa, sed in eum de quo scribuntur, quidquid est stomachi effunditur. Atque ita à Lazaro Bayfio, maximi nominis viro, vidi cuiusdam scriptoris Græci margini adscriptum, *O le grand fol.* MIS. Sed quid si tamen verba illa, *stultorum plena sunt omnia*, aduersus ipsum Ciceronem scripta fuisse dicamus? nimirum à lectore quopiam tantam Ciceronis in mouenda illa Stoicorum Camarina patientiam & mirante & indignante, & tandem stultam etiam iudicante. KÆN. Verisimile videtur quod dicit Misokænus; sed verisimilius reddam eo quod addam. Dico enim, lectorem, in Stoicos calamum distringere volentem, scripturum potiùs fuisse, *Impudentium plena sunt omnia.* COR. Ratione haud caret, ideóque aliquid scrupuli iniicit, ista obiectio: & me (nequid dissimulem) hæsitasse in eodem memini luto in quo vt nunc quoque hæsitem tua facit obiectio. *Nanque (fatebor enim)* mihi quoq; in mentem venit aliquando, suspicari, lectorem

rem quempiam, quòd Cicero huic fœtido sermoni tamdiu immoraretur, moræ pariter & fœtoris pertæsũ, margini adscripsisse illa verba, *Stultorum plena sunt omnia.* Immo aliquid multo maius vobis faterer, nisi mihi timerem. MIS. Veteris aposiopesi. Cogitabas enim, *nisi mihi timerem à vestra athyrostomia.* vel, *à vestra athyrogloßia.* COR. Absit vt ego tanta vos *labrostomia* prosequar. MIS. Quidquid est, *depone tutis auribus*, vt Flaccus loquitur. COR. Fatebor igitur istud etiam: me quoque tantam Ciceronis in mouenda illa Camarina patientiam nõ minùs esse indignatum quàm miratum: & ita quidem vt indignatio illa (quæ primò subindignatio tantùm aut indignatiuncula fuerat) in reprehensionem Ciceronis eruperit. MIS. Immo fortasse reprehẽsiunculam tantummodo. COR. Reprehensio fuit illud quod dico, (si nihil volo ὑποκοείζεσθαι) sed breuis reprehensio: & quidem poetica, eóque magis consentanea dicto illi,

Si natura negat, facit indignatio versum.

Mis. Quòd breuem esse ais, faciet vt eo minùs recitationem eius à te petere audeamus. Cor. Me indicio meo, velut sorex, proderem, eóq; indicio in magnum & euidens periculum, tanquam φιλοκίνδυνος quispiam, coniicerem, si contingeret vt vel tenuis aura famæ de illa reprehensione ad quosdam perlaberetur, qui catalogum Ciceromastigum commentari (rectiùs dixissem cõmentiri) incipiunt. Quid enim me fieret? meum vnius crimen crimini aliorum multorum ἰσοστάσιον esse, ideóq; & meam pœnam pœnis illorum omnium ἰσοστάσιον esse debere, pessimi arbitri pessimè arbitrarentur. Kæn. Te, interposito iureiurando, de ea quam times eliminatione securum reddemus. Ideóque omnia nobis expectorare ne dubita. Cor. Nudo & simplici promisso contentus ero. Kæn. A me habes. Mis. A me pariter. Cor. A me igitur illud breue carmen iambicum habetote.

Obsca-

Obscœna multa, Marce Tulli, Stoicis
Placere dicis, displicere quæ tibi.
Illud placere Stoicorum displicet,
At displicere perplacet mihi tuum.
Exempla verùm hîc congeruntur fœtida,
Infœtidare: siue mauis, putida.
Camarina fuit hæc mota cur à te interim?
Obtemperare decuerat prouerbio,
Camarina quo nunquam mouenda dicitur.

KÆN. Fortasse ne ipse quidem Cicero ab Attico suo, aut alio quopiam ex intimis amicis, reprehensus, negasset, Camarinam se mouisse quę mouenda non erat. MIS. Non absimile vero istud est: & quidem Atticum illo ipso loquendi genere prouerbiali vsurum fuisse: quemadmodum vidisti, mihi quoque statim in mentem venisse eo vti. COR. Eo fit mihi magis verisimile quod de Cicerone dicis, quo magis considero quæ idem in suo de officiis commentario ad hanc disputationem pertinentia scribit: præsertim quum

quædam afferat, quibus euincere videtur velle, ipsam corporis humani fabricam semina quædam verecundię habere. MIS. Sed audire percupio vnde tuus ille tantus, quantum nobis descripsisti, sit metus. COR. Vobis vnde sit indicaui. MIS. Ab iis esse audiuimus quos catalogum Ciceromastigum commentari, vel potiùs commentiri, dixisti: verùm, qui sint hi cōmentatores, vel potiùs commentitores, & qui sint ij de quibus commentiuntur, non addidisti. COR. Commentitorum nomina nunc tacebo: sed nomen vnius eorum de quibus commentiuntur, tacere nolo: nisi fortè id ex me iam audistis. Trium enim qui Ciceromastiges ab illis appellantur, à me factam esse apud vos mentionem arbitror. MIS. Si facta fuit mentio, pro non facta habenda est ab eo qui non recordatur. COR. Ne te diu suspensum teneam, is cuius nomen nunc tacere me nolle dixi; est Iustus Lipsius. Sed me cùm alij duo, tum ipse quoque habiturus est patronum.

MIS.

MIS. Nequeo mihi persuadere, illum tam ingratum futurum vt tibi de tuo patrocinio gratias non agat.

COR. STOICORVM libertati loquendi nimium (meo quidem iudicio) liberæ, simúlque omnibus suum ei calculum dantibus valedicendum nunc, & reliquum de ea sermonem (qui multo longior quàm nobis videtur, esset) in aliud tempus reseruandũ censeo. Quoniam autem huic nostræ de illa Stoicorum libertate dissertationi campum aperuit ea de qua dictum est, minimè malitiosa, ideóque excusabilis, æschrologia: & expedit, varia exempla proponi eorum qui in illam incidentes, ridendos se propinant (vt olim spectandum proponebatur iuuenibus quàm modis omnibus ridiculos se prębberent ebrij, ad deterrendum eos ab ebrietate: si tamen parua licet magnis componere) vnum superioribus, & quidem insigne, addam. Quum enim talium non apophthegmatum sed paraphthegmatum aliquot exempla priùs attulerim, quæ

(aut quorum nonnulla saltem) etiam epigrammatico risu mecum prosequuti estis: vnum addam, eo insignius quo insignior est persona cuius ab ore exiit. Est siquidē tui antiquāriorū ordinis, Kænophile. Bonus ille vir (annon enim & ex antiquariis nonnulli sunt boni viri?) quum significare vellet, sē cupere in colloquium cuiusdam mulieris (quam nominabat) venire, dixit se cupere in illius mulieris congressum venire. KÆN. Mirum est, hominem antiquarium in turpiculum hoc, non apophthegma, sed paraphthegma (vt tu vocas) incidisse. COR. Ne turpiculum, sed turpissimum, vocato. MIS. Tibi antiquario mirum id est de antiquario: sed ipsemet tibi caue. Periculum est enim nequando tibi volenti ἀρχαΐζειν, contingat turpiter ἐνσίζειν. Nisi potiùs dicere debeo ἐνσίζεσθαι. KÆN. Antiquario sermone non vtebatur ille, dum ei contigit ita cæspitare. MIS. Sed fortasse vti se credebat: & aliquid antiquarium resipere illi videbatur vocabulum *congressus*, potiùs

potiùs quàm *colloquium*. COR. Non dubium est quin maius periculum immineat à quapiam cæspitatione ridicula (verbo tuo vtor, sed addo ridicula) iis qui antiquario sermone vti volunt. A quapiam cæspitatione ridicula dico: neque enim de ea tantùm quæ illius generis est loquor. KÆN. Quam huius rei rationem affers? COR. Hanc: quòd eos, dum nescioquam παράσιν, id est, παρασίσεως laudem, ex antiquario sermone (quo omnium aures existimant demulceri) quærunt, & festinatione, sed non lenta, vtuntur, verisimile est in quandam ἔκκλισιν interdum rapi. KÆN. Quid si *in congressum colloquiúmq; illius mulieris venire* dixisset? scitis enim hæc interdum copulari. MIS. Artem scilicet inuenisti, qua è paraphthegmate apophthegma facias. Sed saltem illud hysteron proteron, non minùs quàm scopulum, vitare te oportebat: minimèq; congressum colloquio (quum de fœmineo sexu ageretur) præponere. KÆN. Hoc potiùs ordine vtendum dicerem si illi con-

gressus appellationi eam de qua malitiosè cogitari potest significationem dare vellem. Cor. Suspicor, ecstaticum quiddam tibi contigisse, dum de ecstasi loquerer. Intelligeres alioqui, remedium quod malo vis adhibere, ipso malo peius esse. Mis. Nónne, Coronelle, insignem illam καινοπρέπειαν hominis antiquarij epigrammate decorasti? Cor. Decoraui. Mis. Recites velim. Fortasse enim id Kænophilum nostrum ab illa sua ecstasi ad pristinam animi catastasin reuocabit. Cor. Per meum epigramma non stabit quin sibi Kænophilus reddatur: sed tuum est videre vt illum attentum reddas.

Cunctis amandus hic vir antiquarius,
Antiqua simplicitas amat adhuc cuius os:
Qui σῦκα, σῦκα, qui σκάφια, σκάφια vocat,
Græci vt loquuti sunt suo prouerbio.
Cunctis amandus hic vir antiquarius,
Discupere qui se non negat quod discupit,
Qui nomine suo nominat quod cõcupit.

Non

Non ille furta cogitat, vt adulteri:
Sed te marite tibi cauere præmonet,
Suæ fauere nisi velis cupidini.
In coniugis enim (quid sit his apertius
Verbis?) tuæ venire congressum cupit.
Ingenuus adeo quum petitori sit huic
Candor, repulsam tún' putes dignum
pati?

MIS. Antiquarium hunc eo quod merebatur epigrãmate prosequutus es, vel potiùs persequutus. Sed in penultimo versu voci petitori secundam dedisti longam: consultóne? COR. Consultò: quamuis alioqui breuem quoque dari non ignorem. KÆN. Indignus erat ille qui ob eum lapsum tali epigrammate exagitaretur. MIS. Cur indignus? an quòd antiquarius? Fortassis enim antiquariis esse parcendum censes. Immo tam dignus erat quem Coronellus illo epigrammate exagitaret, quàm indignus qui alienã coniugem agitaret. COR. Hoc (quæso) tam fescennino sermone abstine: ne videaris & ipse in illorum ἀϊσχολόγων Stoicorum castra velle transfugere.

MIS.

Mis. Abstinebo. Cor. Attu, Kænophile, antiquarium illum, carmine à me celebratum, si bona libidine Salustiana (quæ tibi sæpe in ore est) instruxisses, planè antiquario & petitioni suæ apto sermone instructum reddidisses. Sibi enim bonam esse libidinem in congressum illius mulieris veniendi dixisset. Kæn. Nónne aliâs bonam illam libidinem satis supérq; desputasti? Vísne semper eandem cãtilenam canere? Si perges hoc facere, aliquod aliud loquendi genus, quod te maiore cordolio afficiat, expectorabo: atque ita alterum illud è tua memoria exterebrabo. Cor. Scio quid velis: vis clauo clauum extrudere.

—neque te teneo, neque dicta refello.

Mis. Tibi quęstionem quandam proponam, Coronelle: quam velim mihi soluas. Cor. Præstabo saltem quod in me erit. Mis. Vnde factum est vt, quum tantus antiquariorum hodie sit numerus, nullos aui vel proaui nostri habuerint? Cor. Falleris, si hoc credis, nullos tum fuisse antiqua-

quarios. KÆN. Fallor igitur & ego. nam idem à me creditur. COR. Quasi verò fidem hoc superet, & Kænophilum & Misokęnum in vna eadémque re falli. KÆN. Rem mihi tam incredibilem quàm nouam & inauditam narras. MIS. Captione per homonymiã vtitur Coronellus, & in homonymia ludens, ita nos deludit. Hãc enim antiquarij appellationem in eũ sensum accipiẽ, quo audiui ipsum aliquando dicentem, Accursium fuisse antiquarium. Et quidem hoc epithetum Accursio eum in quodam epigrammate dedisse memini. KÆN. Vtinam & ipsius epigrammatis meminisses. MIS. Haud excidit memoria. KÆN. Recita igitur, obsecro. MIS.

Hæc quæstio à te sæpe mihi proponitur,
Qualis videtur vir fuisse Accursius?
Ciuile cuius impigro accursu fuit
Ius subleuatum seculis prioribus:
Et inde nomen huic datum quidam putant.
Fuisse mihi videtur antiquarius,

Ad sim-

Ad simplices quod attinet mores quidem:
Simplex sed itidem tam celebris Accursij
Doctrina, tenuis certè & exilis nimis,
(Ni literaturam aliquis esse maluit)
Nec barbariei libera à tot sæcibus,
Fecit vt hic eius gnauus accursus licet
Gnauè parum sese in iuuando gesserit.

KÆN. Animaduerto, Accursium hîc vocari virum antiquarium à nostro Coronello, propter mores incultum aliquid habentes, & antiquæ simplicitatis quiddam referentes. Sed vnde coniecit, eum talem fuisse? MIS. Quid coniecturis, vbi manifesta sunt indicia, est opus? Vel vna illa expositiuncula eius, *Olfecit, id est, Nasum ad culum posuit*, aliquid incultæ & propemodũ agrestis simplicitatis præ se fert. Nisi potiùs dicendum est, apertè indicat. Nec verò dubito quin huc quoque respiciens Coronellus, illud de Accursio epigramma scripserit. COR. Me, cùm ad alia multa, tum verò ad illud respicientem, hoc epigrãma scripsisse

pſiſſe non diffiteor. Sed ne iſtud quidem vos celare volo, me & aliud de eodem epigramma ſcripſiſſe. MIS. Non ſatis eſt, te nos haud celare, à te ſcriptũ aliud eſſe: ſed aliud illud celare nos haud debes. COR. Non celabo.

Eſt nominatus (vt putant) Accurſius,
Accurſius eius iuris ad prudentiam
Enucleandam contulit quòd plurimum.
Fuit quidem illi diligentiæ ſatis
Enucleandam iuris ad prudentiam:
Sed ſæpe, dum paratus eſt accurrere,
Pedes moratur barbara ignorantia.
Si nominanda barbara ignorantia,
Eſt cauſa cuius ſeculum eius barbarum:
Et barbarum ſi nominandum ſeculum,
Quòd literata mage ſequuta ſecula.

KÆN. Hîc antiquarij nulla mentio: qua tu voce in altero epigrãmate vſus es tuo quodam modo. Ac (niſi fallor) comperiemus tandem, ita ſe rem habere vt dixit Miſokænus: te, de antiquariis loquentem, captione per homonymiam voluiſſe vti. COR. Non ſum ego captioſus: nec captione per

synonymiam vti volui. Nam quum multo ante nostrum seculum fuisse iam antiquarios dixi, huic voci nequaquam eum dare vsum volui quem lu-dibūdus in lud:bundo meo epigrammate de Accursio, illi dedi: sed quem vulgo habet, quem ipsemet ei tribuis, quum de antiquariis loqueris, in quibus nomen tuum profiteris. Quid? nunquámne dialogum de Oscis & Volscis inscriptum legisti? KÆN. Non legi, ac ne vidi quidem. COR. An nec tu, Misokæne? MIS. Immo vidi, & pauca quædam ín eo legi. COR. Si & totum & attentè legisses, antiquarios non solùm ante nostrum seculum extitisse, sed subsannatos iam tum fuisse, ex eo didicisses. Nec verò dubium est quin aliquo subsannationem illam interuallo præcesserint. Fuit autem in Italia scriptus (si bene memini) ille libellus. MIS. Vtinam is in manus meas veniret. KÆN. Vtinam se mihi nunquam det obuium. Ingratissimus sanè hospes esset, ac pessimè à me tractaretur: quandoquidem ab eo subsannari

dicis

dicis antiquarios. COR. Exstant præterea quędam epistolæ antiquario stylo ante plurimos annos scriptæ. Quid? nónne ipse Politianus alicubi est antiquarius? vt de Philippo Beroaldo, qui post Politianum, de aliquot aliis, qui post Beroaldum vixerunt, taceam. Ipsum Laurentium Vallam nonnulli, ob aliquot voces, quæ tamen Romæ florentis Latinitati non tam inūsitatæ quàm minùs vsitatæ fuerunt (quarum vna est mercimonium) quídam aliquando antiquarium esse contendūt. Quinetiam apud nonnullos, alioqui incelebres, qui auorum aut proauorum nostrorum memoria aliquid scripserunt, antiquarius sermo alicubi occurrit. Atque hîc recordor cuiusdam Æsticampiani, qui in duobus saltem poetici cuiusdam opusculi locis, *vtibiles*, non *vtiles*, dixit. In quorum priore (si tamen plures duobus non sunt) *vtibiles* in *vtilibus* deprauatum fuit. Scriptum est enim,

Si non vtilibus erunt legenti,

quum ab ipso autore scriptum fuerit,

Si non vtibiles erunt legenti.

ſicut apud eundem, circa finem libri.

—— vtibileſque quæſtiones.

Kæn. Iſtud *vtibiles*, pro *vtiles*, mihi erat incognitum. Mis. Mihi quoquo erat ignotum. Kæn. Vnde verò tibi in mentem venit, huius vocabuli potiùs quàm alius mentionem facere? Cor. Quòd quidam apud me conquerens de ſermone Lipſij, tanquam ab eo qui vulgo receptus eſt, miris modis diſſentiente, inter alia illud *vtibilis* afferret. *Ne Vtilis quidem* (aiebat) *dicit Lipſius, ſed Vtibilis.* Reſpondebam, non credere me, eum ſemper hoc, non illo, vti. Sed eſſe tamen non minùs Latinum Vtibilis quàm Vtilis: quamuis multo minùs vſitatum, & propemodũ obſoletum. Quum autem pergeret mirari, exemplum attuli, atque ita factum eſſe per ſyncopen Vtilis ex Vtibilis, vt Docilis ex Docibilis, dixi. Kæn. Quandoquidem hunc poetam eſſe alicubi antiquarium dicis, aliquid bonæ ſpei de aliquibus ſaltem eius locis concipio. Ideóque rem gratiſſi-

tissimam feceris si aliquot eius versus mihi recitaueris. COR. Recitabo igitur initium descriptionis Hungariæ: quum alij nunc versus haud succurrant.

Terra potens armis, lætísq; vberrima glebis,
Frumentis dotata bonis, fluuijsq; beata:
Ac diues pecoris, generosæ vitis abundans:
Et superûm cultu felix, fuluóque metallo:
PANNONIA *antiquis, à nostris* HVNGARA *fertur,*
E Vropæ stabilis, Turca indignante, columna.

KÆN. Ad hunc versum, *E Vropæ stabilis, Turca indignante, columna*, acclamandum est Hungaris, pariter adgemiscentibus, *Fuimus Troes.* MIS. Hoc rectè veréque à te dicitur: sed poterat dici postea, non interrupto cursu recitationis Coronelli. COR. Vix vlteriùs progressurus eram: quoniam ea quæ proximè sequuntur, non satis memoriæ meæ herent, & de cultu victúque

eorum scripta sunt. Si tamen cultum aliquem tribuere dicendus est genti quam parum cultam vocat: quum nõnunquam *culta parum* pro inculta sumatur. Imo paulo vlteriùs possum progredi.

Qua gens culta parum, (nisi quem peregrina poliuit
Terra virum) & musæ, ciuilis nescia moris,
Rus colit, & tignis habitat subnixa bifurcis.

Vno autem versu interposito ad victũ venit. Cęterùm haud dubium est quin Hungaria ab eo tempore & aliquantum cultus, in nõnullis præsertim partibus, acceperit, & minùs etiam infelici victu vti cœperit. Sed omittebam & alios quosdam versus, qui meæ memoriæ superstant: in quorum vltimo fit iterum mentio Turcarum. Sequuntur autem illi paucis interiectis,

——morbísque caducis
Libera, robusto vegetat fera corpora pastu:
Danubÿ virides circũdans vndiq; ripas,

A pro-

A proprio rabidos auertit limite Turcas.

MIS. Aptè dat Turcis luporum epithetum, rabidos vocans. KÆN. Illud *pastu* magis mihi placet, huic quidem loco adhibitum, quàm si *victu* dixisset: & videtur aliquid antiquarium hic illius vocabuli vsus habere. Alioqui enim de brutis potiùs dici consueuit. Sed quid de loco illo sentiendum est vbi *morbis caducis liberam* esse Hungariam dicit? an hoc ad morbum qui caducus appellatur restringendum est? an verò de quibuslibet morbis esse loquutum, & generali epitheto caducos (quod vix credo) appellasse putabimus? & vocasse liberam morbis regionem eam quę cum aliis collata, parum sit illis obnoxia? COR. *Caducum morbum* Latinos appellasse constat eum quem *comitialem* quoque appellarunt: (sed Firmicus eum pariter qui morbo illo laborat, *caducum* nominare non dubitauit, sicut nec Plinius *comitialem*) Græci *epilepsiam*, & *epilepticum morbum*: (quũ alioqui ἐπιληπτικὸς, sicut & ἐπίληψις

sit is qui eo morbo corripitur:) necnon *sacrum morbum*, & *magnum*: item *Herculeum*. At caducos vel comitiales morbos, aut epilepticos, nusquam me legisse memini. Sed quid si tamen hic poeta, duo caduci morbi esse genera existimans, (quum alioqui posset *morbóque caduco* dicere) dixit,

—— morbísque caducis Libera?

Hoc autem si verum est, cogitandum erit quosdam credidisse, Hungariam habere prærogatiuam istam: eo quo fertur modo Scotia febri quartanæ minimè esse obnoxia. Nisi fortè alia in regione Scotum quempiam corripiat, qui adhuc ea laborãs suam in patriam reuertatur. Cor. AVdiui aliquoties Scotos inter se contendentes, falsúmne an verum esset quod de isto suæ patriæ priuilegio diceretur. Ac verisimile est, huius morbi in Scotia, ac in nonnullis præsertim eius locis, raritatem, spargendæ huic famæ materiem præbuisse.

Hæc duo problemata, nimirum hoc de Scotiæ aduersus febrim quartanam,

tanam, & alterum illud de Hungariæ aduersus morbum caducum priuilegio, aliis relinquamus: *& quod nunc instat agamus.* Id est, de illis qui seculum nostrum non longo interuallo præcesserunt antiquariis sermocinemur. KÆN. Nullus mihi iucundior, nullus mellitior sermo esse potest: dummodo tamẽ aliquid ex eo elimines. COR. Quidnam? KÆN. Defamatos tum quoque fuisse à nonnullis. COR. Vetare non debes ne adiiciam meo sermoni quidquid verum est. Cæterùm haud te per varios nunc quidem libros circumagam: ex vna ante nostram ætatem scripta comœdia quasdam eclogas habeo: è quibus colligi posse videtur, autorem non magis antiquarij sermonis specimen præbere, quàm illum circa quædam irridendũ propinare voluisse: ideóque & limites eius, ad augendum risum, alicubi prætergressus esse. Vt taceam, suo in nonnullis iudicio nimium confidisse. Verùm ego illas eclogas vtrique vestrûm ea lege communicabo, vt neuter me

de autoris nomine vrgeat. Kæn. Conditionem accipio. Mis. Nec minùs ego. Cor. Incipiam ab hoc versu,

Sycophanta magnitate perfidiæ extime.

Hîc *magnitate* pro Magnitudine, *& extime* pro Extreme, vtrunque prisco more dictum esse non ignoras. Kæn. Non ignoro. Sed quis illa voce *magnitas* est vsus? Cor. Accius. Kæn. Opem memoriæ meæ tulisti. Cor. Vno versu interiecto sequitur *appetones:* & esse itidem priscũ, haud es nescius. Sequũtur hæc, vnico itidem versu interiecto,

B. Ne, amice lixa, cæteríq; complices,
Vincite vestrum amœnum & aptum bibesium,
Atque popionem egregium.

Kæn. Apud Plautum legere me memini *bibesia:* legere bibesius, vel apud illum, vel apud quenquam alium, nullus memini. Si autem *bibesia* Plauto est magna & propemodum perpetua bibendi cupiditas, *bibesius* erit qui illa cupiditate tenetur. Cor. *Bibesia* erit φιλοποσία: *bibesius*, φιλοπότης. Kæn. Immo videtur quiddam plus esse quàm

φιλο-

φιλοποσία: videlicet quędam ἄμετρος φιλοποσία: quæ an coniunctè ἀμετρος φιλοποσία dici possit, tuum esto iudicium. Sed cur *popionem*, ac non potiùs *popinonem*, è *popina* appellatione deducens, vel *popinionem* dicit? COR. *Popinonem* fuisse dicendum constat, (siue ipsius scriptoris, siue typographi erratum sit) quum Horatius quoque eo vtatur. Verùm & apud eum qui de claris grammaticis scripsit, legimus, *Lastaurona & lurconem & nebulonē popinonémq; appellans, & vita scriptísq; monstrosum.* Habemus autem in sermone nostro quod omnino illi *popino* respondet. Itidem enim ex nomine *tauerne* (quod è Latino *taberna* mutuati sumus, restricto ad tabernam vinariam) deducimus *tauernier*. Ex quo Itali, sermonis nostri (vt nos sermonis illorum) simiæ, fecerunt *tauerniero*. Quo illis per me licet vti, donec de repetundis vocabulis actum vtrinque fuerit: sed *tabernarium* dicere itidem pro popinone, id verò per me nullo modo licet: etiamsi quidam hac voce tanquam Latina vtantur. KÆN.

Vix credo Latinos vsquam vocum synonymarum fuisse ditiores quàm in significandis hominibus ventri deditis: quos Græci vocibus compositis γαστριμάργους & γαστροφίλους vocant: sed multo frequentiùs illa quàm hac vtentes. Dicebantur enim *mandones*, & *comedones*, necnon *edones*: item *manducones* & *manduci*: quod tamen mihi minùs placet. Cor. Mihi quoque non tam bonæ notæ esse videtur. Kæn. Vocabantur item *lurcones*: vt videre est in hoc Lucilij versu,

Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

Sunt verò & qui hunc versum à verbo *Edite* incipiant: sed viderint. Cor. Quis vnquam priorem in verbo Edo productam fuisse audiuit? & quî produci potest, quum hoc sit, vocalem ε, natura breuem, in ἔδω producere? At verò alterum *edo*, quod priorem longâ habet, stultè quidam in *ædo*, mutant: quum sit factum ad exemplar Græci ἐνδίδωμι. Mis. Hoc interim libenter disco. Cor. Sed tu Kænophile ad

tuam

tuam illam ſynonymorum copiam reuertere. KÆN. *Heluones* etiam fuiſſe dictos illos ſatis conſtat: ſed non perinde antiquum dici poteſt, quum & M. Tullius eo vtatur. Appellati ſunt etiam *guloſi*, & *gulones*, necnon *glutones*. (ſicut nos dicimus *goulus* & *gloutons*) quinetiam *ganeones*. Omittebantur à me alia duo nomina, *catillones* & *liguriones*. COR. Tu (quantum perſpicio) è locupletioribus quàm cautioribus es antiquariis. KÆN. Me (ſat ſcio) antiquariæ ſupellectilis ad vnam eandémque rem pertinentis tam diuitem eſſe non exiſtimabas. MIS. O quales diuitias.

—*horum Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.*

COR. Nimium certè antiquariam ſupellectilem floccifacis, Miſokæne: ſed tu viciſſim Kænophile nimium eam magnipendis. Atque interim non animaduertiſti, aut diſſimulas te animaduertiſſe, quale illud ſit quod tibi dixi, *te è locupletioribus quàm cautioribus eſſe antiquariis*. Tu ad illam mei dicti par-

tem qua laudabaris, attentus fuisse videris: ad alteram, qua monebaris, non item. Kæn. Hæc certè altera pars aures meas subterfugerat. Sed quinam sunt illi locupletiores quàm cautiores antiquarij? Cor. Qui eodem quo tu modo circa sermonis antiquarij vsum se gerunt. Eos dico qui in suum penu multas voces antiquas, aut etiam priscas, recondũt, sed hoc sine vllo discrimine faciunt. Non solùm enim delectum earum non habent quę melioris sunt notæ, sed etiam corruptas & deprauatas quasdam integris & incorruptis admiscent. Adde quòd pro synonymis habent, & tanquam synonymis vtuntur nonnullis quæ minimè tamen sunt synonymæ. Kæn. Quid? tũne me circa hæc omnia incautum in illa meavocum antiquarum eodem pertinentium enumeratione deprehendisti? Cor. Incautissimum. Kæn. Id te mihi velim planum facere. Cor. Faciam. Ac primùm, quod ad delectum attinet, scio te voces è prisco sermone soluto, aut comico depromptas

ab iis

ab iis non distinguere quas vel Ennius suo carmini heroico, vel Accius suo tragico (vt nunc de cæteris poetis taceam) adhibuit: nec eas quibus est vsus nouator verborum Laberius ab iis qui b⁹ vsi sunt ij qui non itidem hoc nomine malè audiunt. Deinde illius quam dixi deprauationis exemplum esse aio tuos *liguriones*. Vix enim magis *liguriones* pro *liguritores*, quàm *popiones* pro *popinones*, defendi posse arbitror. Postremò me non immeritò antiquariorum vulgus de eo accusasse, quòd vocibus nonnullis, quę nequaquam sunt synonymæ, pro synonymis nihilominus vtantur, vel per te, id est, exemplo ex te sumpto, probare possum. Si enim tu, qui minimè in vulgo antiquariorũ ponendus es, hoc in vitium incidis, quanto magis vulgares & triuiales (vt ita dicam) antiquarij in id incident? KÆN. Sed vbi ego in id vitium incidi? COR. Vbi, facta *mandonum*, & *comedonum*, necnon *edonum*, mentione: item *manduconum* & *lurconum*, necnon *beluonum* (quamuis & Cicero hoc vta-

tur) *gulonum* quoque & *glutonum*: illis, tanquam omnino eosdem, adiecisti *ganeones*, item *catillones* & *liguriones*: quum *liguritores* dicere deberes, vt antea monui. KÆN. Nolim te antiquariis legislatorem constitui: ô quàm duras leges illis imponeres. COR. Etiamsi duras, æquas tamen. KÆN. Si tam religiosos esse oporteret antiquarios, quis antiquarius esse vellet? MIS. Magnam scilicet honoris sui suæque dignitatis iacturam faceret Latinitas, si nulli antiquarij forent. COR. Ad hanc quæstionem minimè veniẽdum est, ac præsertim à te, qui nimium es antiquariorum osor. MIS. Veterum antiquariorum osor non sum. COR. Sine me (quæso) causam hanc placidè cum Kænophilo tractare. Cur, Kænophile, nimium religiosi circa antiquarij sermonis vsum dicantur qui eum quem dixi delectum adhibere velint? KÆN. Quoniam multum otij, & propemodum otium quoddam pingue, curiosus ille delectus postularet. COR. Multo minus quàm tu credis spatium tempo-

temporis delectus ille requireret. Sed nunc tamen de delectu illo taceamus, & ad secundam accusationem transeamus. Quo tu ore vocabis nimis religiosum virũ, antiquarium illum qui voce praua pro recta vti, id est (vt eodem illo exemplo vtar) qui *ligurionem* pro *liguritore* dicere nolet? KÆN. Secunda hæc accusatio multo maiore, quàm prima, maiore etiam quàm tertia, iure nititur. COR. Iam nuncad tertiam illam transitus faciendus est. Nõ ignoras, Kænophile, in vsu Latinæ linguæ, sicut & Græcæ (& cuius non linguæ?) magnam esse habendam proprietatis rationem. Quomodo autem habere vllam eius rationem dici potest qui Liguritores & Catillones cum illo genere hominum confundit quĩ Mandones, Comedones, Lurcones, Heluones, & cæteris quæ memorata fuerunt nominibus appellãtur? KÆN. Nónne sunt eiusdem farinę homines? COR. Nequaquam, nisi eandem farinam latè accipias: & eiusdem farinæ esse dicas eos quibus inexplebilis ven-

ter est, & quibus delicatum est palatum: vnde fit vt etiam cupediis sint dediti: à quibus Cupediarij necnon Cupedinarij dicuntur. Sed & Cupes vocatus fuit cupediis deditus: quemadmodum Cupedinarius is quoque qui illas vendit. A Græcis λίχνος ille Latinorum Liguritor siue Catillo vocatus fuit. Nec verò dubium est quin à λείχω deductum sit: vnde Latini suum Lingo fecerũt, inserta litera n, & χ in g mutato: sicut in quibusdam aliis verbis. Sic autem à λείχω deriuata est vox λιχανός: nomen eius digiti qui à Latinis Index appellatur. At λιχανὸς à Græcis dictus ideo videtur, quoniam eum in opsonia immissum lingimus, ad explorandum condimenti saporem. Est autem huius vocis à verbo λείχειν deductio (etiamsi & alia etymologia afferatur) apertior quàm illius vocabuli λίχνος. Quam tamen deductionem in dubium non vocans, dixi in meo Thesauro Græcæ linguæ, λίχνος, Liguritor, Qui cupediis ita est deditus vt lingat digitos, seu catinos, Catillo, Cupes.

Atque

Atq; hîc meminisse oportet dicti comici cuiusd. apud Athenæum, ὅτι πρὸς κυπιφαγεῖν καὶ τοὺς δακτύλους. Sed ad vocabulum Liguriones quod attinet, deprauatum ex Liguritores (vt antea dixi) audite quandam eius etymologiã: non minùs vobis nouam ac miram futuram, vt opinor, quàm mihi fuit, & nunc quoque est. KÆN. Nouitas tanta illam tanto magis dignam Kænophili auribus reddet. COR. Ea est ἀπὸ τῆς λιχνύρυ, quod Græcis suaue significat. MIS. Quicunque hanc etymologiam in medium attulit, se aliquid καινὸν ac simul κενὸν afferre dicere potuit. KÆN. Non est quòd putes me illius deprauationis esse autorem, qua ex Liguritores factum est Liguriones. COR. Hoc facilè credo: quum & ex duobus locis illius comœdiæ locis, vnde quędam excerpta habeo, afferatur. KÆN. Sed quid si non solùm Liguritores sed Liguriones etiam dicti fuerunt. COR. Hoc mihi non fit verisimile. Verùm vlterius in te de tuis synonymis vel potius pseudosynony-

mis, monendo, volo pergere. KÆN. Quo vlterius perrexeris, eo magis me tibi deuinctum reddideris. COR. Addam igitur, nec Ganeones à te cum Mandonibus, seu Comedonibus, & Lurconibus, necnon Gulonibus & Glutonibus, confundendos fuisse: quòd Ganeones non ventri tantùm sed libidini etiam sint dediti. Atque ideo melius Ganeones & Nebulones coniungerētur. Valde enim hac in voce falluntur quamplurimi: quum ea significentur οἱ τὰ ἴδια λάθρα καταφαγόντες. Quæ expositio inter alias tribuitur huic vocabulo in illo Glossario, cuius editione tot tam doctorum hominum gratiam iniui. KÆN. Ignota certè mihi erat ista expositio: quam tu veram esse putas. MIS. Mihi quoque. Nec certè cum ea conuenit quam Donatus affert. COR. At conuenire hæc videtur cum duobus Horatij locis: & cum hoc (vt de aliis taceam) eius qui libellum de claris grammaticis scripsit: *Lastavron* (est autem Græcum hoc vocabulum: eum significans quem alio nomi-

nomine πόρνον vocant) *& lurconem & nebulonem popinonémq; appellans, & vita scriptíſq; monſtroſum.* Scio autem eſſe qui Nebulonem & Tenebrionem eſſe eundem putent, propter etymologiæ ſimilitudinem. Id eſt, quòd res è qua petitur vnius etymologia, ſit ei ſimilis vnde & alterius petenda eſt. Sed illis aſſentiri non poſſum. KÆN. Si ſemper mihi negotium eſſet cum iisqui in verum & proprium cuiuſque vocabuli vſum tam penſiculatè inquirunt, nõ cõtingeret mihi interdum ita labi: ſed mei coantiquarij, qui mihi ſunt etiam coæui. COR. Quid ſibi vult hic imperfectus ſermo? quid dicunt aut quid faciunt iſti boni viri, tui (vt tu quidem loqueris) coantiquarij? KÆN. Aliâs dicã. MRS. Credo te propter me ita in medio ſermone reſtitiſſe. Animaduerti enim te in me oculos coniicientem. Si vis tamen, potes id ita me præſente dicere Coronello, vt tanquam me abſente dictum ſit. Nihil enim vetat quin tu illi Homericè, ἄγχι χὼν κεφαλιὼ, nũc loquaris. AVt certè ipſe Homerici Vlyſ-

sis aduersus Sirenum cantus cautione tibi cauebo. Verùm & tertium quiddam, quod tutius illis vtrolibet illorũ futurum sit, tibi offero: vt hinc aliquò gradum interim corripiam. Cor. Non propter te in sermone restitisse Kænophilum arbitror: sed figuratè loqui volentem: quòd ea nimirum figura quæ aposiopesis & reticentia vocatur, vti vellet. Kæn. Quæcunque sit illius mei sermonis imperfecti causa, aliud interim à me non impetrabitis responsum quàm quod iam dedi, me aliâs illud quod nunc tacui, esse dicturum. Mis. Sed an mihi quoque dicturum te polliceris? Taces. Cor. Eum vrgere noli. Mis. Non vrgebo. Cor. Quemadmodum, Kænophile, te mihi aliquid de tuis coantiquariis, tuis etiam coæuis, (verbis enim tuis vti libet) dicturum aliquid promittis: ita ego, quod tu illis viciſſim dicas, tuis auribus ſum commiſſurus. Verùm tuam procraſtinationẽ non imitabor. Kæn. Siqua de re à te moneantur, nomine illorum omnium grates agam. Cor.

Non

Non te propter illos, sed illos propter te, & in tuam gratiam, monebo. KÆN. Eo tibi magis de meo etiam debitor gratiarum ero. COR.

Sensibus hæc imis (res est non parua) reponas.

Antiquarij sæpe in hoc, & quidem grauiter, peccant, quòd obliti eorum quæ præ foribus habent, longinquum iter ad priscum sermonem emetiũtur: ac, si mihi cum bona Latinitatis venia Gallico vti prouerbio licet, *Romam ad quærendum sanctum Petrum eunt, quum eum ante fores suas habeant.* KÆN. Vnde tibi hoc in mentem nunc venit? COR. Ex eo qui modò habitus inter nos fuit sermone de quibusdam antiquis vocibus: quarum nonnullæ sunt etiam priscæ. Dum enim antiquarij procul vocabula illa quærunt, *mandones*, & *comedones*, & *manducones*, & *lurcones*, & cætera quorum facta fuit mentio, interim quorundam obliuiscuntur (ex illis ij saltem qui ea aliquando didicerunt) quæ in Romano Romæ florentis sermone, quem in vicinia

habent, inueniuntur. KÆN. Si igitur significanter loqui velles, & tamen antiquarius esse nolles, quò te verteres? COR. Ad ipsius etiam Ciceronis sermonem lingua mea se verteret. an infans (quæso) tunc tibi futurus videor? Immo talem hominem, *gurgitem* aut *voraginem*, multo quàm tu significantiùs loquens, & insigni etiam metaphora vtens, appellarem. KÆN. Omittis pulcherrimum vocabulum, & valde sibi conuenientem locum inter illa habiturum: cuius vt in memoriam redirem fecit illorum alterum, *vorago* videlicet. Est enim ab eadem origine. COR. Nullum mihi in memoriam venit. Haud enim dicam, in memoriam redit. nam quid si nunquam illud didici? KÆN. Fieri potest vt tibi sit ignotum: atque hinc potes cognoscere, disci aliquid ex antiquariis. COR. AVdiam (obsecro) illud vocabulum. KÆN. Est *voratrina*. COR. Tale est vocabulum vt non digner te interrogare vnde habeas: sed te velim rogare vt tale sermonis κειμήλιον tibi serues.

KÆN.

KÆN. Si tamen antiquariæ tibi essent aures, non displiceret. COR. Immo vel ob hoc ipsum quòd velim hoc vocabulum, & quodcunque eiusdem classis est, mihi displicere, nolim antiquarias aures habere. MIS. Profectò, si tuis auribus hæc vox placuisset, Coronelle, valde iudicium tuum mihi displicuisset. COR. Tu, Philokæne, quum tuam illam voratrinam in medium attulisti, meum illud penu iam exhaustum esse putabas. Verùm falleris. habeo enim quæ ad *gurgitem* & *voraginem* addam. KÆN. Quid addes? COR. *Ingluuiem*. Sed hominem ipsum *gurgitem* vel *voraginem* vocabo, at verò *hominis ingluuiem* dicam. Quidni verò illum quem tu *lurconem* appellabis, ego non minùs libenter *barathrum* etiam nominem? KÆN. Sed voce vtêris Græca. COR. Quid tum? sic Græca est vt Latina etiam per vsucapionem, vel vsucaptionem (vt quidam dicendum putant) facta sit: & quidem ita vt de lurcone aptè, de lurconis ventre aptiùs dici possit. Multo certè magis

hac *barathri* quàm *phagonis* appellatione opus habebant Latini: quam tamẽ pariter sumpserunt à Græcis. Poterant enim pro phagone edacem, vel voracem, vel edonem, aut comedonem, aut mandonem dicere: aut vno eorum quæ fuerunt memorata synonymorum vti. Ridiculum verò istud, quòd quidam nomen proprium, non appellatiuum, esse putant, apud Fl. Vopiscum: vbi scribit, phagonem vno die, ante mensam AVreliani, aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum comedisse: bibisse autem infundibulo appositio, plus orca: & quidem ipsum AVrelianum vehementissimè delectatum illo fuisse. MRS. Non solùm tãtam hominis edacitatem, sed eam quoque quam imperator hic ex illa capiebat voluptatem, miror. Contrario certè fuit ingenio ille princeps qui phagonem quendam, quòd vnus voraret quę multorum esse debebant, è medio tolli volebat. CORN. Nondum illud meum penu vacuatum est, Kænophile. Adiicio enim licere, lurconẽ & ven-

& ventri deditum, appellare hominem *abdomini natum*. Possumus alioqui dicere etiam, eum *abdomini indulgere*, vel *abdomini inseruire*: sed illud loquendi genus & elegantius & significantius: ac præ se fert aliquid poeticũ: quamuis & Cicero eo vtatur. Ex his satis supérq; cognosci à te potest, Kænophile, quàm verum sit quod tibi de antiquariis dixi. Sed aliquid iam οἰκοθεν afferre volo, quod illius sermonis & meæ admonitionis sit velut auctarium. Quum enim antea de pene loquens, dicerem, Salustium hoc vocabulo, licet obscœno, esse vsum, id subiungentem voci ventre: addidi, Græcos, eandem pudori iniuriam facere nolentes, dicere sæpenumero ventrem & quæ sub ventre sunt, γαστέρα καὶ τὰ ὑπὸ γαστέρα: at nunc ostendere volo quomodo Græcos imitatus sim. Quæ tamen imitatio talis est vt ab iis tantùm qui illud loquendi genus nouerint, animaduerti atque intelligi possit. Totum tibi epistolium recitabo. VALDE *mihi commendas hominem, qui*

nunquam, nisi emendatus, commendatus mihi erit. Eum, quantum possum perspicere, melius quàm tu commendator, notum habeo. Nam mihi (quid amplius vis?) intus & in cute est notus. Tu studijs illum dare operam ais: immo dat operam omnibus propudiis. Qui possit studiosa esse literarum mens eius cui vita sit propudiosa? Quod mihi deditum esse addis, me nihil mouet. Malo mihi deditus is non sit, qui ventri, & (nisi pudor vetaret inferius descendere) deditus est. Vale: & aliàs præcepti Horatiani recordare, Qualem commendes, etiam atque etiam aspice, &c.

M I S. Si satis illam tuam Græci sermonis imitationem assequor, vbi scribis, *qui ventri, & (nisi pudor vetaret inferius descendere) deditus est*, post copulam aposiopesi veteris. C O R. Vtor sanè: quum alioqui perinde sit acsi dicerem, *ventri & ius quæ sub ventre sunt*: vtà Græcis diceretur, γαστὶ καὶ τοῖς ὑπὸ γαστέρα. K Æ N. Etiam in epistolis interdũ esse antiquariũ te video. Quod tamen aliis vix permittis. Hìc certè *studiis* illud *propudiis*, & voci *studiosa* illam

lam *propudiosa* ita oppositisti, vt his antithetis homœotelevtis voluptati aurium consulueris. Quomodo autem nisi vocum antiquarum ope id præstare potuisses? Iam vides vt interdum eum qui omnino non sit antiquarius, ad antiquariorum penu, velut ad sacrā quandam ancoram, confugere, atque ex eo quędam precariò sumere necesse sit. COR. Quid ais? me non permittere aliis vt antiquario sermone vtantur? Immo permitto: sed dummodo cum iudicio id fiat. Tunc enim delectus adhibetur: & seruatur illud prouerbiale præceptum, *ferendum est manu, non ipso sacco.*

MIS. Aliquid venit in mentem, quod propemodum exciderat, te de voce *complices* interrogare, quæ est in illo primo versu,

Ne, amice lixa, cæteríque complices.

Ac miror sanè te de ea tacuisse. COR. Sciebam te non taciturum. MIS. Existimásne vocem esse Latinam? COR. Potiùs barbaram, aut saltem semibarbaram esse crediderim: quamuis alio-

qui multos superiore seculo tanquam Latina vsos esse non ignorem. Sed nec sum nescius, quendam ante nostram ætatem scripsisse, illo vocabulo esse vsum Salustium, vbi sententiam commanipulonum Catilinæ recenset. M r s. Mira certè est illa *commanipulonum* appellatio: sed in illa recensione vocabulum illud legere me haud memini. C o r. Nec certè eam ibi inueni: sed suspicor olim ibi scriptum, vice alius cuiuspiam, quod nunc in melioribus editionibus inuenitur, fuisse. Recordor enim, eum, illis enumeratis, hæc verba subiungere, *Hi Catilinæ proximi familiarésq; erant*: quid si autem olim in quibusdam exemplaribus non *familiarésq;*, verùm *complicésq;* legebatur? Legitur tamen & pag. sequente, *His amicis sociisq; confisus Catilina.* Ac fateor alioqui non facilem fuisse vocis *familiarésq;* in *complicésq;* mutationē. Quid si igitur ex *participes* (vbi scribit, *consilij huiusce participes*) factum illud *complices* fuisse, potiùs suspicemur? Sic videmus, Bembum, & ipsum etiam Nizolium

zolium, afferre quasdam voces tanquam Ciceronianas, quarum ne vmbra quidem apud Ciceronem nunc exstat. MIS. Si mutatio illa quam dicis, facta apud Salustium fuit, multo magis verisimile fuerit eam illi voci participes accidisse: sed neque ibi neque in illo huius comœdiæ loco dici poterit habere illum vsum qui vulgo illi à barbarè (vt opinor) potiùs quàm Latinè loquentibus datur, pro sociis seu participibus criminis. Est alioqui valde vsitata in sermone Gallico hæc ipsa vox *complices*, (vndecunque illam mutuata sit) in illa quam dixi significatione. Sed quod ad sonum literæ *e* attinet, in hac voce vsuenit quod in aliis plerisque in Gallicum sermonem transeuntibus, vt suum sonum masculinum in fœmininum mutent. Nam soni rationem habentes Galli se duplex elementum *e* habere dicunt: vnum, masculinum, alterum, fœmininum.

KÆN. Ad illum (quæso) antiquarium reuertamur. COR.

O singuli vos flocciores vellere.

AVtúne fuisse etiam Kænophilus ita loqui? KÆN. Nequaquam certè, hic quidem Kænophilus quem intueris. COR. Sequitur paruo interuallo, *caput pilatis*: vbi valde falletur qui antiquariè eum loqui existimabit. Nam apud Afranium & Accium *pilare* est piles emittere: veluti vbi dicit Accius, *Tunc primùm pilabant genæ.* At hîc *pilatis* est pro Depilatis, siue Expilatis. MIS. Atqui Expilare alium passim vsum habet. COR. Id scio: sed illum esse primum censeo: & ineptè à quibusdam deduci à Græco πιλῶ, significante Complano: quòd qui è domo supellectilem detrahunt, æquare ac complanare videantur. Nam ne hoc quidem verum est, πιλῶ id significare. MISOK. Miratus sum certè & ipse illam ab hoc verbo etymologiam.

COR. Non longo interuallo sequitur hic versus:

Nunquam ædepol homines suatim grũniunt.

Vbi *suatim* notabile est, pro suum more: sicut

re: sicut *Bouatim* pro Boum more, & *Canatim* pro Canum more, dictum fuit. Hìc autem mihi placet priscorum suo in sermone audacia (si tamen in bonam quoque audacia partem sumi potest) qui quum Græcos aduerbia ex horum animalium nomine facta habere viderent, ipsis inuidere cœperunt: & pro κυνηδὸν, *canatim*: pro ϐονδὸν, aut ταυρηδὸν, *bouatim*: pro συηδὸν, *suatim* dicere. Etiamsi enim huius συηδὸν & illius ϐονδὸν exempla non afferantur, minimè tamen dubitandum est quin dicta itidem fuerint. Quid quòd tandem ditiores etiam esse Græcis voluerunt, & *meatim* ac *tuatim* ad significandum More meo & More tuo, dicere cœperunt? KÆN. O quàm bonus es antiquarius, Coronelle, etiamsi antiquariorum plerunque sis irrisor: & quàm bonum haberēt patronum antiquarij, si eorum suscipere patrociniū velles. COR. Nego & pernego me antiquarios plerunque irridere. Nunquam enim istud hominum genus vsquequaque irrideo: tantum abest vt

plerunque irrideam. KÆN. Si non plerunque, at certè circa pleraque, illos irrides. COR. Multum iam est inter hoc quod dicis, & illud quod dicebas, discriminis: sed mutandum tibi in tuo sermone & aliud est. Non enim dicere (si veridicus vis esse) debes, me antiquarios irridere, sed antiquariorũ nonnullos. Nam alioqui modesti sunt adeo in sua antiquaria Latinitate nonnulli, vt nihil inueniam in illis quod irrideam: at illi sæpe mihi risum, sæpe etiam bilem mouent, qui sine modo & modestia (vt loquitur tuus Salustius) antiquarij esse volunt. KÆN.

Quàm tibi aues raræ, coruis paulo & minùs albis,

illi satis modesti tuo iudicio antiquarij.

COR. *Bustirape, verbero.* KÆN. Mén' tu bustirapum & verberonem vocas? an his vocibus Misokænum compellas? COR. Tu antiquarius sermone antiquario compellandus es: alio Misokænus. Quanquam harum vocum prior tantùm illi sermoni adscriben

scribonda tibi videbitur: sat scio. KÆN. Vt seriò loquamur, súntne ista quoq; illius comici (si comicus appellandus est) verba? COR. Sunt. KÆN. Miror vnde illud *bustirape* habeat. COR. Non miror ipse: ac minimè dubito quin οἰκόθεν habeat: sicut & *bustuarium caput* alibi pro eo quod in busto erat, & eo fuit exemptum. Sed pro *verberones* nullúmne tibi succurrit antiquũ vocabulum? KÆN. Nullum. Nisi *mastigiæ* tibi inter antiqua numerandum potiùs videtur: quod alioqui sumptum è Græco esse nemo nescit. COR. Credibile est, Plautum & cæteros veteres comicos diu vsos esse Græca illa voce, antequam *verberones* auderent dicere. Nec tamen illud *mastigiæ*, id ipsum est vocabulum de quo cogito. KÆN. Sed nec de Plautino *vlmitribæ*, vel de *plagipatidæ* (quod eiusdem est) te cogitare crediderim. Non enim tantam cum illis conuenientiam istud habet, quantam illa duo inter se habent. Quid? egóne, qui antiquarium sermonem per transennam tantùm aspicio nonnun-

quam, in eo aliquid plus videbo quàm tu, qui assiduè illum introspicis? KÆN. Tuam sermonis illius cognitionem ita extenuas, vt eo maiori admiratione quod à te afferetur excipiamus. Sed saltem ne diutius exspectari sinito? COR. Miror te oblitum esse vocabuli *flagriones*, sic à nomine flagrum deductæ, vt verberones à verbere. KÆN. Pudet me huius obliuij. Sed siquid maculæ afferre id mihi posse videtur, aliquid καινοπρεπὲς ex meæ kænophiliæ officina profectum afferre vicissim volo, quod illam eluat: aut dānum quod per illam honori meo factum est, velut sarciat. COR. Dubitásne quin illa obliuio aliqua te macula sit aspersura? Hoc certè tibi dubium esse non debet. KÆN. Faciam igitur quod dixi: immo iam facere incipio. Proponere enim vobis volo quandam vocē ex illa *flagrio* à me excogitatam: quæ, vt spero, non minus καινοπρεπείας quàm καινοφιλίας habere censebitur. Illa est *flagellio*. Quidni enim vt à *flagro* illi *flagrionem* deduxerūt, ita mihi a *flagello* deduce-

deducere *flagellionem* licebit? Spatium tamen ad cogitandum tibi dabo.

COR. AVdi igturalium versum:

Nihil respondes? digne qui crucium feras.

Sed non dubito quin & istud crucium οἰκοθεν habeat: quod à cruce sic factum est, vt à luce lucium: vnde *antelucium*. Sed & *cruciarius* apud Apuleium, *cruce dignus*. Ita enim exponendum est potiùs quàm *cruciatu dignus*. Verùm & *cruciferi* in eadem comœdia legitur. At hic versus,

Nam id quod fero, dignum est pio supplicio.

habet vocabulum quod mihi omnino displicet. KÆN. Nimirum hoc à te dicitur de voce *supplicio* pro supplicatione. Nam eo se vti posse credidit: sicut Salustius *supplicia* vocat supplicationes. COR. Sed putásne illum hoc rectè credidisse? KÆN. Ego certè nequaquam vsus fuissem. COR. Nec ipse. Sed timésne laruas? KÆN. Quis eas non timeat? COR. Hinc ergo fugiendum est. KÆN. At si earum tantùm

nomen hîc sit, illud minimè timeo. Cor. Immo vocem tantummodo quæ ab illarum deducta nomine est, afferre libet. Illic enim inuenitur, ——*crus laruatior manendeis*. Sed & præcesserat, *dij te laruent*. Kæn. Promitte saltem futurum vt, si me larues, mox delárues. Cor. Promitto. Kæn. Sed qui sunt illi *manendei?* Cor. Vt dici solet *diis manibus*, ita eum ordine inuerso dicere voluisse existimo *manes deos*. Kæn. Sed vnde vocem hanc compositam attulisse putas? Cor. οἰκοθεν. Cum multis autem res illi esse possit, à quibus eam vnde attulit (si inde attulit) referre iubeatur.

Sed audi duos versus, ad quos transeo.

Quæcunque anus, quicunque sunt silicernij,
Vetuli, veternosi, cibarium dabunt.

Kæn. Vocatus est *silicernium* quisenex esset, aut potius valde senex, ab ipso etiam Terentio: at *silicernius* vnde? Cor. Vereor ne istud, vnde & alia quædam, habeat.

De

De hoc autem loco,

Tibi fabulino, barbaro, indoctissimo, Fanatico, fatuo, videntur sordidi.

Asellus ad lyram, vetus prouerbium,

quídnam tibi videtur? KÆN. Vix aliam hîc esse vocem crediderim, in quam sit inquirendum, quàm illam *fabulino*. COR. Propter illam hunc locum affero. KÆN. In hac (ne quid dissimulem) prorsus hæreo. COR. At ego, si hæreo, saltem non prorsus hæreo. Nam scio *fabulinum* fuisse vocatum quendam deum (vt magnam paruorum & parua munera obeuntium deorum turbam habuit Romana antiquitas) qui pueris primò fari incipiẽtibus præesse putabatur. Vnde etiam sacrificabatur ei quum primùm liberi fari incipiebant. KÆN. At hic *fabulinum*, tanquam à fabulis deducta voce, pro blatherone, seu nugatore, fortasse dixerit. COR. Hoc mihi fit verisimile. KÆN. Cui non fieret?

COR. En tibi versum, vbi loquendi genus est quod dubito an sit anti-

quorum comicorum, aut saltem antiqui alicuius comici.

Sequar virum: si mutiat, pugnos edet.

Sic certè solemus in Gallico sermone nostro interdum iocari, *Ie luy en feray bien manger*, etiam vbi de pugnis agitur. Et verò Plautino Sosiæ (si bene memini) non libet esitare vbi pugni apponuntur.

Cor. In hoc versu,

Immane terriculamen, & manes truces,

est ea vox qua dubitabam annon vsus foret Apuleius, potiùs quàm ea quæ apud illum exstat. Nam vbi legimus apud eum, *laruas esse noctium occursacula, bustorum formidamina, sepulcrorum terriculamenta*, dicebam illum fortasse scripsisse *terriculamina*, vt omnia essent non homœoteleyta tantùm sed etiam formæ eiusdem nomina.

At hîc puto non scriptorem, sed typographum, errasse,

—— vsquam nil volo appetitius.

Haud enim antiquos *appetitius* dixisse arbitror, sed *appetentius*, ab *appetenter*: atque

atque hunc comicum istud *appetitius*, non illud *appetentius*, scripsisse. KÆN. Idem & ipse arbitror.

COR. Hîc etiam notabilia quædam verba habemus,

— quia nam sublimat & infimat,
Depauperátque & diuitat : quæ vult facit.

KÆN. Illa duo sibi opposita verba *sublimat* & *infimat*, ex Apuleio sumpta crediderim. COR. Credibile est sumpta ex eo esse : verùm ex antiquo scriptore quopiam eum vtrunque sumpsisse, persuasum habeo : præsertim quum alterum, videlicet *sublimat*, ex Ennio afferatur. Illud autem *depauperat* pro pauperem facit, etiamsi apud Varronem exstet, minùs mihi placet quàm simplex *pauperat* placeret : quo & Horatius est vsus. Nam *depauperare* aliquem, vel *expauperare*, de eo conuenientiùs dictum iri puto qui pauperiē ab aliquo tollit. Nec tamen interim ignoro, esse verba vbi eadem illa præpositio *de* est modò intensiua, modò priuatiua. Quorum è numero *Desauio*.

Kæn. Ego, composito vti volens facto è verbo *Paupero*, dicere non dubitarem *Impaupero*. Cor. Facilè crediderim, aliquem ex antiquis eo esse vsum. Sed quid de hoc nomine dicemus, *pestilentitas?* in hoc versu,

Febres, & vlcera, atque pestilentitas.

Fallórne an apud Lucretium eam legi? Kæn. Non falleris: en tibi versum Lucretij,

Hæc igitur subitò clades noua pestilitásque.

Cor. Mirum est quàm aures à quibusdam antiquis vocibus abhorreant, quæ nihil nobis nouum præter ipsam terminationem (vt vulgari verbo vtar) habent. Ac horum certè in numero posse videtur poni illud *pestilitas*, pro Pestilentia: sic etiam vocabulum *magnitas* (cuius antea fuit facta mentio) pro Magnitudo. Verùm ad illùd *pestilitas* quod attinet, an putas Lucretium omnibus ætatis suę hominibus id probauisse? Kæn. Vix crediderim: quoniam analogiæ omnino repugnat, à pestilens deducere *pestilitas*. Cor. Vel

Vel hinc discè antiquarie Kænophile, à me non absre istud inculcari, delectum antiquariis in antiquaria Latinitate esse adhibendum. KÆN. Quod de terminatione mutata dixisti, idem de vnius literæ vel adiectione vel detractione aio. Vna enim literavel adiecta vel detracta cuipiam vocabulo, facit vt aures eam non libenter admittant. Exempli gratia, vbi *patrimus* dicitur pro eo quod vulgo patrius dici solet. COR. Quod exemplum illius nominis afferre potes? KÆN. Idem quod è Ciceronis Tusculanis afferunt alij, *patritam illam & auitam philosophiam.* COR. Quid si verò proferam exemplaria in quibus *patriam*, non *patritam*, scriptum est? KÆN. Qui tamen hanc scripturam defendunt, eo vel vno vel potissimo niti testimonio solent. COR. Nonnullos illud *patrimus*, pro *patrius*, in vsu habere scio, sed hunc vsum idoneo vllo testimonio niti nescio. In illa certè ipsa comœdia vnde alia tam multa deprompsi, est qui dicat se *patritos mores imita-*

ri: & quidam magni hodie nominis, in lyrico carmine dixit, *vestigio insistere patrito.* Verùm ego hac in voce, si alia in vlla, iniuriam analogiæ fieri existimo. Quod non considerant ij quibus vt *auitam*, sic etiam *patritam*, dici placet. Quid enim commune habent horum nominum, *auus* & *pater*, κατάλήξεις? Vt omittam, Latinos, si ab auo voluissent non *auitus* sed *auius* (vt à patre *patrius*) dicere, futurum fuisse vt vox *auius*, quæ sorores habet, *deuius*, *inuius*, *peruius*, illam, tanquam suam in possessionem irruentem, in ius apud Latinæ linguæ vindices & iudices vocaret. MISOK. Tam firmis rationibus niteris, Coronelle, quàm illi nouatores infirmis nituntur. KÆN. Tam longo tempore obmutuisti, Misokæne, vt vererer ne aliquam in mutum metamorphosin passus esses. MIS. Dum in illa disquisitione exemplorum antiquariæ Latinitatis versaremini, nescio vnde corrogatis, & ex re propè ludicra seriam faceretis, tanquam σπουδὴν παίζειν volentes, parum attentus eram:

eram : quoniam mihi ibi nec ſerebatur, nec metebatur: at nunc in quæſtione verſamini, de qua meam ſentẽtiam meritò interpono. KÆN. Qui à nobis de illis exemplis habiti fuerunt ſermones, pro vitiligationibus & blacterationibus habere videris, Miſokęne: ac tales fuiſſe ais, vt in iis tibi nec ſereretur, nec meteretur: at ego, quod meteres, etiamſi nihil ſereres, fuiſſe dico. COR. At ego vtrunque veſtrûm, niſi huic diſceptationi finem imponatis, & vitiligatorem & blateronem (nã blacterationem & blacteronem Kænophilo relinquo) eſſe clamabo. KÆNOPH. Perſequamur itaque, Coronelle, noſtrum illum ſermonem de vocibus quas vnius literæ vel adiectio vel detractio auribus inſolentes reddit. COR. Iamnunc in aliud exemplum incidimus. Nam quum antea de *patrimus* pro *patrius* verba feciſſemus, nunc ſe aliud exemplum offert, (minùs tamen inſigne) in *blacterare* pro *blaterare*, cum eiuſdem literæ adiectione in deriuatis. Conſidera autem &

hîc quàm inepta sit quorundam (sed antiquariorum præsertim) circa nonnulla kænophilia, ad orthographiam etiam quod attinet. Nam quum *blaterare* nitatur Horatij autoritate, quid ineptius quàm aliam quandam incertissimam etymologiam tanti viri autoritati velle opponere? Kæn. Tecum posthac partes scribentium *blaterare* tenebo. Cor. Iam verò, vt ad detractionis literę exemplaveniamus, magnam certè aliquando nouitatem afferre possunt auribus eorum etiam qui ad Latinitatem antiquariam non omnino nouitij veniunt. Nam, vt taceam de *famul*, de *facul*, de *volup*, quotusquisque est qui in *biber* non fallatur? *Biber* (inquiunt) nomen est antiquum, neutro genere vsurpatum. Deinde afferunt è Fannij annalibus, *Domina eius, vbi ad villam venerat, iubebat biber dari.* Item ex Titinnio, siue Tintinnio, *Date illi biber.* Quinetiam Catonem eo vsum esse scribunt. Sed qui & Terentium vno in loco *biber* scripsisse putant, illi, meo quidem iudicio, falluntur.

Kæn.

KÆN. Si falli eos putas grammaticos qui *biber* nomen esse scribunt, quam orationis partem esse tu existimas? COR. Credebam te non minùs quàm me, iam animaduertere, verbum esse cui detracta fit vltima litera *e*. Dicitur autem à Latinis *Da mihi bibere*, ex imitatione Græcorum, dicentium, δός μοι πιεῖν. MIS. Illud *biber*, tanquam monstrosum aliquod vocabulum, formidassem, vbi in ipsum incidissem: nisi me huius admonitionis armis instruxisses.

KÆN. Diximus de vocabulis quibus aliqua litera additur, & quibus cõtrà aliqua detrahitur, aut aliquę detrahuntur (vt vocabulo *famul*) vtrobique per archaïsmum: sed de iis tacuimus vbi litera quæpiam in aliam mutatur. COR. Non satis est te mihi in memoriam hoc reuocare: exempla etiam, aut saltem exemplum afferre oporteret, atque hoc etiam modo memoriæ meæ subsidio venire. KÆN. Vno tantum exemplo iuuare nunc illam possum. COR. Quónam? KÆN. Vo-

cis *nampe*. Ita enim antiquos scripsisse, non *nempe*, quidam tradunt. COR. At mihi, quum in illa comœdia vnde multa attuli antiqua, *nampe* occurrisset, typographicum mendum esse arbitrabar. KÆN. Idem ego existimassem, nisi illud legissem.

COR. Ex mentione nunc facta illius comœdiæ, in memoriam mihi quiddam redit, quod prætermissum nolim. KÆN. Habéne aliquid quod de ea dicas? COR. Aliquid potiùs quod de iis dicam quę ex illa deprompsi exemplis. Ex iis enim satis patere puto, fuisse auorum etiam nostrorum ætate antiquarios, & quidem nonnullos qui antiquarij sermonis specimen ita præberent, vt simul eum velle circa quędam deridendum propinarevidererentur. Neque verò minùs cætera de iis à me dicta (quę tuum est à memoria rua repetere) ex illis apparere animadvertes. KÆN. Eius tantùm quod in toto illo sermone tuo fuit mihi odiosum, mentionem nunc facis. COR. Sed odiosum illud te cautum reddat opor-

oportet, simúlque tuos in antiquario sermone symmystas. Nisi mauis dicam, tuos antiquarij sermonis symmystas. KÆN. Vbinam illi nostri partim aui, partim proaui, antiqui sermonis reliquias inuenire poterant? Nam Plautum mirè fuisse tum corruptum, & à pauciſſimis lectum, à paucioribus fuisse intellectum constat. COR. Vel ipsa lectio scriptorum ecclesiasticorũ, quędam antiqua, & quidem adeo antiqua nonnulla vt etiam obsoleta essent, suppeditabat. KÆN. Iocarísne, an seriò loqueris? COR. Seriò loquor. KÆN. Nunc recordor audiuisse me, Tertullianum talia habere. COR. Habent etiam alij quidam, sed non tam multa. Vel vnum Cypriani afferam, vnde eum haud parum insolētię suo sermoni interdum permisisse cognosces. Id est *implanare*, pro Decipere, Imponere alicui: ex quo & *implanatorem*, pro deceptore, seu impostore, fecit. MIS. O qualia vocabula. COR. Abhorrent ab illis aures tuę, vt quidem prę te fers. MIS. Abhorrent: hoc tibi inficiari

nolim. Cor. Faciam fortasse vt non abhorreant. Nónne scis, Latinos, & quidem nominatim Horatium, *planum* more Græcorum, pro deceptore seu impostore dicere? Mis. Scio. Cor. Nónne scis, Græcos, vt πλάνον dicunt, significantes deceptorem, ita πλανῶ pro Decipio dicere? Mis. Scio. Cor. Nónne, si nomen illud Græcum sermoni Latino mutuari licuit, licuit & verbum? Mis. De hoc dubito. nam & quædam alia nomina Latini è Græcis sumpserunt, quum tamen verba ex illis facta non sumerent. Præterea, cur ex πλανῶ non factum fuit Plano, sed Implano? Cor. Vt non coincideret (vtor nunc Latinorum grammaticorum vocabulo, quo Græcum σωρεμπίπτω imitantur) cum Plano. quod à nomine Planus, priore longa, ducit originem, & composita habet Complano & Explano. Mis. Iam meæ aures minùs ab illo Cypriani Implano abhorrent. Sed credísne illum ex aliquo scriptore antiquo sumpsísse? Cor. Credibile certè est, aut saltem non incredibile. Alia autem

autem alio tempore exempla tibi proponam antiqui sermonis à scriptoribus ecclesiasticis vsurpati. Quid? an nescis, veterem quoque Bibliorum interpretem antiqua quædam habere? MIS. Non dicam me nunc nescire, sed antea nescisse confitebor. COR. Quũ illud cantici principium caneres, aut canentes audires, *Magnificat anima mea Dominum*, non animaduertebas, hunc Testamenti noui interpretem (non est autem is qui & vetus est interpretatus) antiquo verbo vti? MIS. Minimè antiquum esse verbum putabã, quum & Terentius eo vtatur. KÆN. Quasi verò non & aliis verbis antiquis hic vtatur. Hoc tamen vos celare nolo, in superioris temporis editionibus legi apud Terentium *magnifacere*, vbi aliæ (ac præsertim quæ inter has sunt recentiores) habent *magnificare*. COR. Illius diuersæ lectionis minimè ignarus eram: sed si vetus ille interpres pro μεγαλύνει dixisset *magnifacit*, non ita vim huius Græci assequutus esset: atque Latino tam antiquo vsus non foret.

Sunt tamen qui duas esse voces malint, scribentes *magni facere*, in illo etiã Terentij loco. Mis. Vt verum fatear, haud satis Latinum esse illud *magnificare* credidissem, nedum esse antiquũ: quoniam sunt & alia eodem modo ex verbo facere composita, quæ potiùs ecclesiastica, id est, ecclesiasticorum scriptorũ (inter quos & veteres Bibliorum interpretes comprehẽdo) quàm Latina esse existimabam. Ac sunt ex eo numero ista duo, *honorificare* & *lætificare*. Cor. Immo ex iis quæ eiusdem familiæ sunt verbis aliquot antiqua possent afferri, & quidem sumpto initio ab illo *magnificare*: quum & Plautus eo vtatur. Vt autem de illis duobus, quorum mentionẽ feci sti, ac de priore priùs, respondeam: illud quidem *honorificare*, Lactantij saltem autoritate possum tueri: (ac posse hac sola defendi, haud credibile est) at posterius illud *lætificare*, non Plauti tantùm sed Ciceronis etiam Latinitatem sibi fauentem habet. Mis. Quàm multi tamen illud, *Vinum lætificat cor hominis*, verum quidem

dem esse faterentur, sed Latinè dici negarent. KÆN. Quid? te in eorum numero fuisse, nónne fateberis? MIS. Fatebor: sed addam, non iam esse. COR. Sic autem vidi qui (vt vocabuli ab eadem stirpe orti mentionem obiter faciam) *lætamen* an pro Latino habendum esset, valde dubitaret, & cur diphthõgo id scribi soleret, miraretur: sic tamen vt, quum Virgilij autoritate niti dicerem, non minùs mirum ei istud videretur. Tum ego, *Quid faciat lætas segetes*. Atque hoc ab illo aliis indicatum fecit vt etymologiam statim animaduerterent, ideóq; scripturam habere suspectam desinerent. MIS. Verùm si Virgilium credendum est primum segetes vocasse lætas, necesse est post Virgilium tantummodo vocem lætamen in Latini sermonis consuetudinem veniisse. COR. Si non Virgilius fingendæ huius vocis occasionem præbuit (quod tamen facilè adducar vt credam) alius certè poeta Virgilio prior præbuerit. MIS. Ita fit plerunquevt multi multa in Latinitate suspe-

ćta habeant quæ ab omni ſuſpicione abeſſe procul deberent. Kæn. At ipſe meam de te ſuſpicionem haud tacebo. Mis. Quænam ea eſt? Kæn. Suſpicor, te noſtri Coronelli libellum *De Latinitate falſo ſuſpećta haud legiſſe.* Mis. Non falſa eſt certè hæc tua ſuſpicio. Kæn. Quum legeris, tam ſuſpicax, aut ſuſpicioſus (vtrum rectiùs dicitur?) eſſe deſines. Nec certè horæ à Coronello male collocatæ in ſcribendo hoc libello fuerunt. Cor. Vtinam eſſent quę in ſcribendo contrario non libello, ſed libro, collocari à me poſſent. Kæn. Quid? velléſne palinodiam canere? Cor. Nequaquam: (eſſet enim veritati perſpećtę & exploratę aduerſari) ſed contrarij argumenti librum cuperem componere: videlicet, *De ſuſpećta haud falsò Latinitate: & de falſa, etiamſi non ſuſpećta.* Kæn. Hæc potiſſimùm poſterior libri pars, *De Latinitate falſa, etiamſi non ſuſpećta,* à valde ſitibundis multorum auribus biberetur. Quod vtinam hæc auiditas te ad illum conſcribendum reddere auidum

dum posset. COR. Plurimi, doctissimi etiam viri, non auidè reprehensionem sui legerent, quamuis nominibus parcerem: & mirarentur, à me de se etiam dici, *Communis error facit ius.* Cum vulgo enim loquerer: licet & in vulgari horũ verborũ vsu, *Communis error facit ius*, communis error facere ius videatur.

KÆN. PAVSAM hîc à te fieri gaudeo, & aliquam ei in quo versabamur sermoni (nisi tamen ad finem perductus est) intercapedinem dari. COR. Vnde istud gaudium? KÆN. Espe quadam. COR. Quænam est hæc spes quædam? KÆN. Quòd illam pausam in causa futuram spero cur cuidã meo desiderio possis satisfacere: præsertim quum occasio illud tibi propalandi se offerat. COR. Enecas me tuis istis *quadam* & *cuidam*: quum debeas statim ad rem ipsam venire, ac non, quum rogator sis, me, ad tuæ rogationi satisfaciendum, interrogatorem facere. Miror tamen tantam esse huius pausæ (vt tu antiquarius antiquariè loqueris)

potestatem, vt posse tuo desiderio facere satis, mihi tribuat. Sed quid de eo loquor quod adhuc mihi ignotum est? Kæn. Ex ignoto statim notum tibi fiet. Nam, quia in Terentij mentionem incidimus, fatebor tibi me cupere, & quidem antea etiam cupisse, ex te intelligere quibus terminis Terētius suos archaismos circumscripserit: atque an ex eius lectione multum antiquarij suū penu locupletare queant. Cor. Habes in Coronello hominem qui illi tuæ cupiditati cupiat satisfacere, eámq; explere: qui possit, non habes. Kæn. Nunquam te talem expertus sum vt dici de te posset,

Dissimulator opis propriæ, sibi commodus vni.

Cor. Ne nunc quidem existimate experiri me talem: sed cogita quantū meis onus humeris illa tua quęstio imponat. Mis. Ego quoque, quamuis minimè antiquarius, sed contrà antiquarij sermonis antiquator, quantum in me est, tuum libenter responsum audirem. Cor. Quî fieri potest vt

quum

quum alioqui vestrę de Latinitate sententiæ inter se pugnent, ad me expugnandum velut compugnetis? Ad expugnandum enim meum obstinatum obfirmatúmque animum collaborare vos video. MIS. Minimè mirari debes idem eiusdem rei desideriũ duorum aduersariorum. Eiusdem rei (vt scis) & bonum & malum esse potest desiderium.

Et latro & cautus præcingitur ense viator:
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

Sic ego, qui antiquarij sermonis tam cupio esse antiquator, quàm ille est eius admirator, sectator, vsurpator, & cuperet esse instaurator, ideo scire cupio quousq; fines suorum archaismorum extendat Terentius, vt hos vitem. Hinc fit (inquam) vt Kænophili precibus (nam illa eius verba precum apud te locum tenere existimo) meas adiungam. COR. Precibus, vt scis, apud amicum opus non est: & verò iam omnem huiusmodi sermonem, præstando meam operam, anteuertissem,

si, quò me vertere debeam vt illi desiderio (quod tibi cum Kænophilo esse commune declarasti) morem geram, sciuissem. Mis. Si grauius tibi onus imponi sentis quàm quod humeri ferre valeant, eos aliqua eius parte exonerato. Cor. Hoc dicere, aliquid est dicere: vt & Græci loqui solent. Quamobrem tuo ita vtar consilio, vt ex meo responso si nõ, quantum cupitis, at certè quantũ vobis prodesse queat intelligatis. Kæn. Vel hoc officio valde me obstrinxeris. Mis. Me quoque.

Cor. Terentium habuisse eum archaismorum delectum credo, quem conuenientem iudicabat homini medium quiddam tenere volenti inter suæ ætatis Latinitatem, & eam quæ multo prior erat: adeo vt iam antiqua haberetur. Quum autem hoc sibi proposuisset, non dubiũ est quin primùm eas quas illa sua ætas in ore quorundã, aut quarundam (nam Romanæ quædam matronæ valde studiosæ conseruandi sermonis antiqui fuisse feruntur) linguæ antiquæ retinebat, reliquias,

quias, suas in comœdias libẽter admiserit, atq; his priorem locum dederit. Posteriorem autem locum dedisse eũ crediderim ijs quę ex antiquis scriptoribus, ac prę sertim comicis, & quidem nominatim è Plauto, ita excerpebat vt in eo delectu aures in consilium adhiberet, earúmque iudicio multum tribueret: ideóque non solùm semper ea quæ essent horrida, sed etiam interdũ ea quæ tantùm aspera videri possent, vitaret. Hinc fit vt (proponam enim exemplum quod vt mihi primum in mentem venit, ita satis aptum esse videtur) non sit mihi quisquam persuasurus, Terentium in Andria sua (actus tertij scena secunda) scriptum reliquisse, *Date biber:* ac illud *bibere*, quod in superioris erat temporis editionibus, fuisse mutandum in hoc *biber*. De qua voce fuit hoc etiam scriptum ridiculè, (vt antea monui) esse nomen antiquum, neutro genere vsurpatum. KÆN. Sed *volup* tamen apud eundem comicũ legitur pro *volupe*. COR. Scio afferri è duobus eius locis *volup*

est, pro Volupe est: sed ita vt non solùm inter se dissentiant exemplaria, verum etiam vnum & idem secum haud consentiat, quum duas diuersas in duobus illis locis lectiones habeant. Sed esto scribi debere *volup*, apostrophi notam adiiciendam aio, hoc modo, *volup' est*: vt hæc nota elisam esse vocalem ostendens, simul etiam vicem eius subeat. Itidem verò literæ s inter consonantes sæpe accidere videmus vt elidatur, sicut & ab antiquis factum fuit. At verò apud Plautum vocem illam *volup* in fine etiam versus habemus: vbi nihil tale dici de illa potest. Sed enim multi sunt loci Terentij de quibus lectionũ partim è libris veteribus, partim ex ingenio (id est, è coniecturis) diuersitas, vix ferre iudiciũ finit. Interim verò hoc fateor, nõnullos esse archaismos quos antiquarij nonnulli imitantes, se deridendos (vt Terentianè in Terentij mẽtione loquar) propinãt. Ex illis est hic, *absente nobis*, in EVnucho. nam ne ipse quidem Donatus audet affirmare Terentium archaismo illo quo quidam antiqui vsi fuerint, voluisse vti: sed quo-

modo alioqui ferri hoc possit ostendit. Nec fortasse multo sunt minùs ridiculi qui ex prima Andriæ scena sumunt & quædam recens emẽdatio illi inuexit, *in memoriam habeo*, pro illa tanto tẽpore à tam multis recepta lectione, *in memoria habeo*. Ex iisdẽ verò audimus, tanquam eundem in genere loquendi eundẽ planè archaismum habẽte imitantibus, *esse in tantum honorem*. Sumũt autem hanc loquendi libertatem ex EVnucho, actus secundi scena secũda,

Ille vbi miser famelicus videt me esse in tantum honorem.

Sed tamen non solùm plurima exemplaria repugnant, quę habent, *esse in tãto honore*: verumetiam Donati cõmentarij nõvnius editionis insertam habẽt lectionẽ hanc, non illã. Fieri nihilominꝰ potest vt *in tãtum honorem* scripserit Terentiꝰ: sed si hoc credam, simul etiã credere me oportet, *isse*, nõ *esse* scriptũ reliquisse. KÆN. At ego antiquarius antiquariorum patrocinium hîc suscipiã. COR. Cur non igitur, ô patrocinator, ad illius causæ defensionem statim venis? Scis enim nõ satis esse, dice-

re se patrocinium aliquod suscipere, & in se recipere: sed oportere, quæ ad illud faciunt, statim menteconcipere, mente concepta eloqui. Kæn. Ego lentè festinare volui. Cor. Fac te tandem audiamus patrocinantem. Kæn. Ab antiquariis rectè dici aio & hoc, *esse in tantum honorem*, & illud, *in memoriam habeo*, quòd legant & apud Salustium, *in potestatem habere*. Cor. Tuum patrocinium esse siculnum auxilium (si Græcum loquendi genus, συκίνλιν ἐπικουρίαν, imitari licet) paucis ostendam. Nam quod ad locum Salustij attinet, te per incertius velle probare aio quod incertum est. Atque hoc, tanquam ex abundanti, addam, futurum vt cum illo Terentij loco alius eiusdem committatur. Mis. Non deberet ita cuiuis editioni fidere gens antiquaria. Cor. Commodùm recordor, ex hoc tuo sermone, illud loquendi genus Terentianum, quo vsus sum paulo ante, *se deridendos propinant*, omnium editionum testimonio haud niti. Nam in fine Evnuchi

nuchi paucæ quædam editiones habent,

Hunc comedendum & deridendum vobis præbeo,

quum in aliis omnibus scriptũ sit *propino*. Possim autem & alia multa huius diuersitatis Terentiani sermonis in vno eodémque loco, pro diuersitate exemplarium, exempla vobis afferre.

MIS. Quum possis, quidni & velis?

COR. Antequam ad alia illius diuersitatis exempla veniam, proponere vobis volo alias quasdam antiquariorum imitationes Terẽtiani sermonis. Quarum vna, & quidem prima, futura est, *cum primo lucu*, pro eo quod diceremus Cum prima luce. Nec defuit qui quũ in quadam editione huius comici legisset *luciscit* pro Lucescit, hoc etiam imitari voluit: & analogiam omnino illi vocabulo repugnare haud animaduertit. Quid quòd non solùm *altercare* ex eodẽ, sed & *luctare*, & *minitare* libẽtiùs quàm Altercari & Luctari & Minitari, dixit quidam? Sunt deniq; antiquarij qui ita in Terentij archaismos

iurarunt vt etiam antiquam declinationem alicubi cum eo, necnon coniugationem retineant, *huius anuis*, pro Huius anus, & *tetuli* pro Tuli, & *poteſſe* pro Poſſe, dicentes: perinde acſi Terentij archaiſmi ſacrum aliquid prę cæteris cæterorum haberent. KÆN. Atego non adeo Terentianè ſum antiquarius. Quòd ſi vis, fatebor tibi quę Terentiana (quantum quidem recordari poſſum) archaiſmum habentia, in quibuſdã epiſtolis imitatus ſim. COR. Quidni velim? KÆN. Addam iſtud,

—par eſt ignoſcere faſſo: ſi tamen peccatum fuerit. Sed hoc non facilè fatebor, ſicut nec facilè mihi perſuadebis. COR. Hæc quoque obſtinatio antiquarium ingenium ſapit. Sed age: fortaſſe ignoſcẽdum non erit: quòd ſi ſit, non ero ἀσυγνώμων. KÆN. Vnum illorum fuit *poſtilla* pro Poſtea. COR. Hîc ego te peccaſſe nequaquam dicturus ſum: præſertim quum & ipſe vſus fuerim, ſed in carmine iambico,

Poſtilla (quæſo) nullus hoc obganniat.

In quo vno verſu ter ſum Terentianus:

nus. Nam *postilla* pro Postea cum illo dico, & *nulius* pro Non: atque vtor verbo *obgannire* sicut ille vtitur. KÆN. Si quis antiquarius ita in trib. locis vnius versus Terentianum aliquid compilasset, haud impune ferret: quantum quidem in re esset. COR. Atqui nihil est hîc tale, qualia sunt nonnulla quæ paulo ante in illis Terentianizare volentibus reprehendi. Sed *postidea* quoque pro Postea dicere non fuisse ausus. KÆN. Illud sciui quidem apud Plautum esse, apud Terentium quoque extare, nullus sciui. COR. Quidam tamen Terentij locus creditur hanc vocem sibi vendicare. Cæterùm ad secundam confessionem veniendum tibi est. KÆN. Iunxi verbum *decet* dative. Dixi enim, *mihi decet*. COR. Ne hoc quidem peccasti. est enim partim archaïsmus, partim helleniſmus. KÆN. Quomodo partim helleniſmus? COR. Quoniam eandem tuo *decet* constructionem dedisti quam Græci suo πρέπει, cui illud omnino respondet, tribuere solent. Quum tamen Plautus quodam

in loco scriptum reliquisset, *habitum qui potis decet*, quidam, hanc constructionem ignorãtes, illud *potis* in *potiùs* mutauerunt. Sed quartam confessionem audire gestio. KÆN. AVsus sum & *interea loci* pro interea dicere. COR. Talis pleonasmi sicut antiquus, ita etiam magis comicus est vsus. Nam & *postidea loci* (nisi fallor) apud Plautum legitur. Sed libentius *interea loci* quàm *ad id locorum*, cum Salustio, dicerem, pro Ad id temporis. Quid porrò est quod quinto loco mihi fateberis? KÆN. *Suis sæuidicis dictis me protelauit*, è Phormione. Nam sequi exemplaria malui in quibus *sæuidicis dictis*, quàm ea vbi aut *sæuidictis*, aut *sæuis dictis*, scriptum est. COR. Qualis futura est sexta confessio? KÆN. Multiplex. Nam me quandam epistolam his verbis clausisse fateor, *Si vis ambo fruamur pace, tandem (quæso) me missum face.* COR. Animaduerto, te dicere *face* quàm Fac, maluisse, vt esset homœotelevtu vocabulo illi *pace*. Ac non improbem, siquidem hîc homœotelevta

gratiam

gratiam habere iudicanda sit. KÆN. Confiteor, me aliud quoddam epistoliũ his verbis clausisse, *Quod deus duit*: Nequaquã displicet quod deũ quàm deos nominare malueris: sed antiqua πολυθεία (quæ faciebat vt *dij* diceretur) magis poscere antiquum *duint*, at cum Christianico *deus* magis cõuenire verbum *det* videbatur. KÆN. Maluí præterea in quadam epistola *enicas*, quàm *enecas*, dicere. Vsus enim sum hoc sermone, *Obtundis me iterata toties pollicitatione, enicas me tam longa procrastinatione.* COR. Scio, non in vno Terentij loco legi *enicas*: sed hoc quoque scio, minimè cum exemplariũ omniũ consensu ita legi. KÆN. Duo supersunt, ex iis quidem quorum meminisse possum, quę vix audeo itidem fateri: quòd Kænophilum sua kænophilia transuersum egisse & nimium credulum reddidisse videri poterit. COR. Nullam tibi de omnibus quæ fassus es gratiam haberem, si hæc non fatereris: præsertim quum me nõ ἀσυγγνώμονα futurum promiserim. Adde quòd à cen-

sura mea, cui tevltro submittis, ad censuram aliorum prouocare potes: si ea tibi non probabitur. Kæn. Immo iam ipsemet sum propemodum censor aduersus me. Cor. Hoc tamen sententię quam feram nihil præiudicij afferet. Kæn. AVsus sum ad quendã scribere, *Miror te nunc ita me habere despicuum*: quum (vt nosti) dici soleat *habere despectui*, aut *despicatui*: aut etiam *habere despicatum*: sicut apud Terentiũ legitur,

——*quæ nos nostrámque adolescentiam*
Habent despicatam.

Vt autem ex vna audacia facilè ad aliam venitur, præsertim quæ similis omnino sit, etiam *respicari* pro Respicere, haud dubitaui scribere. Vtrobique autem habui fidem (fortasse tamen nimis credulè) diuersæ quæ apud Terentium afferebatur lectioni: ad *respicari* quidem quod attiner, in Phormione: ad illud autem *despicuum*, in EVnucho.

Cor.

Ignosco id: pœnam culpa secunda feret.

Mis.

MIS. Valde periculosam esse animaduerto, in antiquario præsertim, kænophiliam. Sed audi Coronelle: reminiscaris velim sermonis quem te habiturum promisisti, vbi finem feciſſes de antiquariorum quibusdam imitationibus Terentiani sermonis dicendi. COR. Qua de re sermo ille futurus erat? MIS. Exempla te plura allaturum pollicebaris diuersitatis Terentiani sermonis in vno eodémque loco, pro exemplarium diuersitate. COR. Memini promissi, & illi stare volo. MIS. Facis quod probo viro decet. COR. Sed cur hæc verba risus sequitur? MIS. Quoniam antiquario sermone vix, ac ne vix quidem, absque risu vti possum. KÆN. Immo, aliquando in eum incidens, haud rides. COR. Ad illa venire exempla volo: & quidem initium ab hoc loco Andriæ, actus quarti scena vltima, sumere,

—haud auspicatò huc me appuli.

Annotatum enim reperio in hunc locum, viros doctos legere cum Priscia-

no *attulj*. Mis. Quid audio? tandem igitur periclitabitur & lectio illius versus eiusdem poëtæ, de qua alioqui cõsentire omnes videntur,

Poëta quumprimum animum ad scribendum appulit.

Tandem (inquam) & huic versui periculum erit ne suum *appulit* amittat, aliquo in dubium id vocante, & itidem *attulit* substituente.

Cor. Non procul ab illo versu vbi *appuli* mutatur in *attuli*, discedam, sed à duodecimo ad tertium retrocedam. Ibi scriptum est de Chryside,

——*in patria honestè paupera viuere*,

non paucis exemplaribus huic nomini *paupera* acclamantibus, sed pluribus reclamantibus. Kæn. Si mihi antiquario viderem non permitti *paupera* dicere, ad *paupertina* confugerem. Cor. Enimuero illud *paupera* in memoriam mihi reducit illud *nupera*, quod in prima Heauton timorumeni scena legitur, & quidem primo in versu,

Quan-

Quanquam hæc inter nos nupera notitia admodum est.

MIS. Quid? aliquáne de hoc etiam *nupera* est controuersia? COR. Est certè inter Terentij exemplaria, ideóque & inter illius lectores, controuersia: quum & *nuper* scriptum inueniatur. MIS. Vtrum vocabulũ tibi magis probatur? COR. Æquè mihi probantur: sed magis placet *nupera*, tanquam vel ipso vsu rariore elegantiæ aliquid illi tribuente. Cæterùm vidi exemplar in quo hic verborum ordo erat,

Quanquam hæc inter nos nupera admodum notitia est.

In hac autem verborum collocatione faciliùs contingere potuit vt *nupera* in *nuper* mutaretur, vocabulo illo *nupera* vltimam vocalem suam amittente (vt sæpe fit) ob sequens ab eadem incipiens. Sed quidam aliquid tertium hîc excogitauit. MIS. Quídnam? COR. Vt scriberetur *nuper-notitia*, κατ' ὑφέν: vt quidem ille loquitur. MIS. Sed quid fiet aduerbio *admodum?* Cũ

hoc enim vocem *nuper*, aut vocem *nupera*, iungi oportet: at quomodo id fiet, si cum *notitia* iungatur? K[illegible]n. Tibi assentior: vt *nuper admodum* perinde sit acsi *nuperrimè*, *aut nupera admodum* perinde acsi *nuperrima* dictum esset. Cor. Nulla dubitatio de hoc relinquitur. Sed ille, istud obstaculum non prævidens, arbitratus est ita dictũ iri *nuper-notitia* ὑφ' ἓν, vt dicitur ab eodem poëta, in sua Andria, *semper-lenitas*, actus primi scena secũda, in primo versu: atq; vt à quodam elegiaco poeta (Propertio, si bene memini) *semper-amicitia:* sicut Græci suam vocem ἀὲι quæ illi Latinæ *semper* respondet, cum quibusdam nominibus copulant. Virgilius autem & *ante-malorum* eodem modo dixit. Kæn. Si tua memoria fallitur de Propertio (id est, in adscribenda ei illa voce) mea quoq; fallitur.

Cor. Procul abeundum non est vt inueniatur quædam scripturæ discrepantia tanti momẽti vt vix alia esse maioris possit: momenti, inquam, quod attinet ad rem de qua agitur. Mis. Quim

Quàm libenter illam scripturę discrepantiam audiam. COR. Scis legi vulgò in eadem comœdia, actus quarti scena quinta, vel (vt quidam partiuntur) quarta,

Mirum verò, impudenter mulier si facit meretrix.

Non enim interrogatiuè pronuntio, (vt in quibusdam exemplaribus typographicis nota interrogationis hîc apponitur) quum vel particula *verò* repugnet, vtpote ironiæ conueniens, & quidem eam velut adiuuans: sicut videre est in hoc Virgilij loco,

Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis,
Túque puérque tuus, magnũ & memorabile nomen,
Vna dolo diuûm si fœmina victa duorum est.

MIS. Sed quidnam tanti momenti loco huic contigit? COR. Contigit scripturæ talis diuersitas, vt, si constaret Terentium id scripsisse quod posteriores aliquot editiones exhibent, & rediuiuus fieret, dignus esset quem

genus fœmineum non aliter tractaret, quàm Orpheus à sui seculi fœminis tractatus fuit. Mis. Sed non eandem ob causam. Cor. Nequaquã. Mis.

O quid in has miser hic potuit committere tantum!

De Terentio loquor. Cor. Dicendum potiùs fuit,

Quid potis hic in eas fuerat committere tantum?

Absit enim vt dicam, eum id commisisse. Sed audite quídnam illud sit. Editiones quædam eo è loco vocem meretrix sustulerunt: ita vt in his de omni muliere dicatur, quod in aliis de ea demum quæ meretrix est, dicétem Terentium audimus. Nam in his scriptum est,

Mirum verò impudenter mulier si facit:

quum in aliis, & quidem in omnibus superiori tempore excusis, iis quidem quas videre mihi contigit, (contigit autem videre plurimas) scriptum sit,

Mirum verò, impudenter mulier si facit meretrix.

Mis.

MIS. Sequendo igitur quasdam nouas editiones, totum genus fœmineũ videri poterit impudentiæ insimulari. COR. Et quidem insimulabitur. MIS. O flagitiosam & verè flagris dignam correctionem. COR. Dicitur Muretus fuisse primus qui ausus sit hoc vocabulum versui detrahere, quoniam, ad mensuram versus quod attinet, redundare videbatur. MIS. O qualem correctorem: qui mensuræ versus Terentiani mallet, quàm Terentium honori sexus fœminei, consulere: immo qui cum tãto honoris sexus huius dispendio vellet mensuræ vnius versus consulere. COR. Iam verò & Palmerij consensus affertur, sed iungentis illam vocem meretrix cum versu sequẽti. Nam quum versum illum Daui,

Mirum verò, impudenter mulier
si facit meretrix,

sequeretur hic Chremetis,

Ab Andria est ancilla hæc, quantum
intelligo,

ita ille scribendum censuit,

Meretrix ab Andria est hæc, quantum intelligo.

Existimauítq; idemvocem *ancilla* fuisse glossam, quum *ab Andria* idem sit quod *ancilla Andria*. Mis. Esto, fuisse tollẽdum aliquid è versu illo qui hunc præcedit, annon aliud tolli poterat? Cor. Poterat sanè: & quidem vel vocula *verò* detracta, quæ minimè necessaria est, sed tantùm elegantiæ hîc seruit, adiuuando ironiam, stare poterat versus: mutata simul sede verbi facit: hoc modo,

Mirum, impudenter mulier si meretrix facit.

Sed & relinquendo particulæ *verò* suũ locum, & tollendo vocabulũm *mulier*, in malum illud emendator haud incidisset. Potiùs autẽ vox illa per archaïsmum adiungitur, quàm quòd sit necessaria: vt à Salustio, quum *mulier ancilla* dicit. Denique versum manere περιπλοϋσιον (vt alij quidam manserunt) satius fuisset. Opponet fortasse aliquis, hoc à Dauo, persona contempta & fide haud digna, dici: sed à tali etiam

iam persona dictũ, infamiæ notam inureret.

KÆN. Nullóne epigrãmate emendationem tam audacẽ & flagitiosam (vt verè vocata fuit) prosequutus es, vel potiùs persequutus? COR. Immo duobus, tribúsve: sed vnius tantùm recordor.

Terentianus ille Dauus dixerat,
Hæc scilicet res mira fuerit cuipiã,
Mulier meretrix impudẽter si facit:
Vox illa meretrix *amputata versui:*
Et de muliere qualibet nunc dicitur
Quod de muliere dixerat is haud qualibet,
Meretricia sed ars cuius esset propalam.
O non pudet vos, scripta vetera queis placet
Corrigere (eorum sic voco exemplaria)
Affingere illis veteribus scriptoribus
Absurda quædam, dum mederi erroribus
Vultis librorum (quisquis error is sit)
Minus vt malum maiore sanetur malo.
O non pudet vos (de Terentio loquar)

Honor poëtæ ne vel in re paruula
Lædatur, huius totius sexus ita
Calcare famam, quódque habet primum
decus?
Versus Terenti hæc tetra decurtatio
Qua digna pœna fuerit, an lector rogas?
Vt autor eius, aurium & nasi quoque
Curtatione lueret id suum scelus,
Eóve sibi quod Zopyrus fecit malo:
Quódve Polymestor passus est à fœminis,
A fœminisve passus Orpheus Thraciis.

Nónne hoc epigrammate ille emẽdator dignus fuisse videtur? KÆN. Fuisse dignissimus. MIS. Mihi vel stomachosiore fuisse dignus videtur. Eò autem magis miror, illum ita ausum emendare versum illum, quòd nihil apud comicum hũc poetam habemus (quantum meminisse possum) vnde μισογύνου fuisse appareat: sicut de Euripide fertur. Nam in Hecyra ita fœmineum genus accusat vt simul excuset:

Censén' te posse reperire vllã mulierem
Quæ careat culpa? an quia non delinquunt viri?

Quum

Quum enim addit, *an quia non delinquunt viri?* non dubium est quin excusare velit: perinde ac si diceret, Si delinquunt viri, & excusantur, quanto magis excusandæ sunt mulieres? quum earum sexus longè infirmior ac debilior sit. Sed & in EVnucho, actus quarti scena vltima, nihil de mulieribus dicitur quod & de plurimis dici viris non possit:

— immo certè noui ingenium mulierum:
Nolunt, vbi velis: vbi nolis, cupiunt vltro.

Quòd si aliis istud viris non posset obiici, ei saltem posset hominum generi qui cantores vocantur. Hi enim canere nolunt, vbi velis: vbi nolis, cupiunt vltro. Atque id testatur & Horatius,

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos,
Vt nunquam inducant animum cantare, rogati,
Iniussi, nunquam desistant:

Iam verò quod in Heauton timoru-

meno mulieribus obiicitur, multo etiam leuius est,

—& nosti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Non sum tamen nescius, pro voce *mores* affertri aliam, *moras*: quæ & ipsa aptũ hîc locum habet. At quod quidam *comuntur* mutant in *comintur*, tanquam antiquum, non placet. Qui verò *conantur* legunt, ad præcedens *moliuntur* videntur respicere. Illud enim cum hoc optimè conuenit. Mrs. Gaudeo te hunc in locum inquirere. Mihi enim semper negotium exhibuit: eo quòd perspicere non possem quid cõmune haberet *comuntur* cum præcedente *moliuntur*. Ac ne nunc quidem id perspicio. Cor. Visne pro *moliuntur* aliud tibi verbum afferam, scriptura minimum ab illo differens, cum quo quid commune habeat *comuntur*, statim perspicies? Mrs. Summi hoc beneficij loco tum habiturus. Cor. Verbum illud est *poliuntur*. Mrs. Cognata sunt duo hęc verba, non tantùm quod

quod ad scripturam, sed etiam quod ad significationem attinet. Atq; hinc fit vt copulata interdum occurrant, in metaphorico etiam vsu: & quidem ibi quoque vbi verbum Polire præpositionem accipit: vt apud Fabium, de ornatu orationis loquentem, *non quia comi expoliríque non debeat.* COR. Sed obiter tibi quandam super illo verbo Polire quæstionem proponam: quam ei putes dari posse etymologiam, vt dici queat à Græca lingua ortum habere. MIS. Cur me de hoc interrogas? COR. Quoniam quidam scripsit esse, Politico & vrbano more (qui rustico contrarius est) componere. MIS. Tu me igitur de eo quod iam scis interrogas. COR. Volebam experiri an tu idem sentires. MIS. Non placet illud *politico* cum *vrbano* iunctum: &, si quidem à Græco sermone deducere necesse foret, dicerem potiùs simpliciter, esse à nomine πόλις: quemadmodum ex ἄστυ, quod (vt scis) itidem ciuitatem significat, Latini astu pro astutia fecerunt. COR. Aliam tibi proponere quæstio-

nem volo: sed hæc erit de altero illo verbo Como. Mis. Quænam erit? Cor. An vnquam audiueris, Como esse verbum & Græcum & Latinum, pro Orno: quòd in capillo præcipuus hominum ornatus sit. Mis. Imino aliquid mihi inauditum affers de Græco κομῶ. Sed qui hoc dicit, illud Homericum, τὸν νῦν χὴ κομόωντ', non exponeret (vt credibile est) Cuius curam gerere oportet, sed Quem ornare oportet: idémque & in aliis eiusdem poetæ locis, non minùs ridiculè quàm in illo, faceret. Cor. Tua verò sententia quæ est, Kænophile? Kæn. Eadem quæ & Misokæni. Cor. Quandoquidem in hunc de verbo κομῶ sermonem incidimus; è vobis scire aliquid cupio & de verbo quod ab illo vnius tantùm literæ adiectione differt: videlicet de κῑ́μῶ: an legeritis vnquam apud Homerum pro Orno. Kæn. Vulgare hoc est; Homerum ei vsum hunc nusquam dare. Mis. Idem & ipse semper audiui. Cor. Quid igitur dicas de quodam natione Græco (& qui eo doctior habe-

batur ab iis qui vel minimum peritiæ sermonis Græci in homine Græco ad summum peritiæ gradum perimaginationem quandam euchũ) qui initio Iliadis, —— Νὺ κοσμήτορι λαῶν, *duõ ornamẽta populorum* exponebat? KÆN. Quid aliud dicerem quàm credere me, illum bonum virũm quamplurimis aliis in locis non tam Homeri expositorem fuisse, quàm se ridendum & subsannandum exposuisse? MIS. Nec ipse aliud mihi queo persuadere. Verùm, vt ad illud tuum *poliuntur* redeam; quod pro *moliuntur* substituis, eo etiam magis mihi placet, quòd nitens seu nitida cutis, videri quodammodo potest esse polita. COR. Hoc addo: si Donatus *moliuntur* in eo Terentij loco legisset, non fuisse de illo taciturum. Poterit autem accipi Dum poliuntur, dũ comuntur, pro eo quod est, Dum se poliunt, dum se comunt: (quamuis & nonnullæ suas comptrices haberent, è quibus erat Cypassis illa Nasoniana, solas deas comere digna) sicut Lauari pro Lauare se dicitur:

quemadmodum à Græcis λύεσθαι, pro λύειν ἑαυτὸν, vel ἑαυτῷ. Cæterum in mentione huius Græci pronominis recordor te obiter interrogare cur non pronunties Heavtontimorumenos coniunctè, vt alij solent, sed disiunctè Heavton timorumenos. Cor. Quoniam ego sequi me rationem, vt alios illos errorem communem, existimo.

Mis. Satis mirari haud possum quî fiat vt illud *moliuntur* ab omnibus propemodum absque vllo scrupulo admittatur: præsertim quum nullam eius mentionem Donatus faciat, haud alioqui (vt tibi assentior) de illa tacitus. Cor. Fit nescio quomodo (magno tamen rei literariæ damno interim) vt quidam scriptorum loci, qui meritò in suspicionem mendi venirẽt, haud veniant: sicut vicissim nonnulli suspecti sunt qui minimè esse deberẽt. Ac de illis dici potest quod paulò ante de iis dictum fuit à quibus *Heavtontimorumenos* coniunctè & scribitur & pronuntiatur: *errorem communem ius facere*. Eò saltem allusi, sub his verbis,

Quo-

Quoniam ego sequi me rationem, vt alios illos errorem communem, existimo. Vt autem aliquot afferam exemplа locorū qui in suspicionē haud veniunt, quamuis suspecti esse debere videantur: quis illi lectioni apud Virgilium, *sperare dolorem,* non acquieſcit? at nemo mihi istud eripiet, (ne Seruius quidem) illū scripsisse *spectare:* cuius lectionis quoddam exemplar me oculatum testem reddidit. Afferre plurima è Cicerone exempla, id est, è Ciceronis exemplaribus, possem, è meo dialogo qui Pseudocicero inscribitur, sumpta, nisi illorum mendorum multa in multis exemplaribus nunc correcta inuenirentur: sed vnius recordor, quod ex illo scriptore in nullo exemplari (quod quidem sciam) sublatum adhuc fuit. Hoc autem est (nisi valde fallor) *otium literatum.* nam *otium literarium* scribi debere contendo: etiamsi & nouus ille CICERONIS ORPHEVS *otium literatum* habeat. KÆN. Tu Misokæne mirabundus mirabundum me aspicis, ob factam Ciceroniani Orphei

mentionē. Gaudeo igitur te super hoc mysterio nihil habere quod tibi inuideam. Cor. Præuenire vestram petitionem volo, & quod sub meis latet verbis mysterium (vt vos appellatis) patefacere. Orpheus Ciceronis, liber est Ciceroni adscriptus, & sub nomine Ciceronis, quo iure qua iniuria, nuper editus, tanquam ab eo ad filium scriptus, Athenis sub Cratippo operam philosophiæ dantem. Kæn. Habétne quędam hominis kænophili lectione digna ille Ciceronis liber? Cor. Dignissima haud pauca, pro suo modulo, vt ita dicam. est enim tantùm libellulus. Sed antequam Ciceroni eum adscribas, Homerica ista prędfatiuncula vtere, ψεύσομαι, ἢ ἔτυμον ἐρέω; audiuisti enim quod adieci, quum sub nomine Ciceronis editum dixissem. Sed nobis de illo differendum Orpheo tunc erit quum in eius conspectum venerimus. Mis. Tibi sedulò in memoriam reducemus, vt ad eum nos libeat adducere. Kæn. Gaudeo factam fuisse otij literati mentionem, alioqui enim

de

de hoc Orpheo fama minimè ad nos peruenisset. COR. Peruentura erat, sed non tam citó. KÆN. Quid si Literatum otiũ exponat aliquis, Quod Literatos reddit? COR. Si posset ita exponi, non contenderẽ mutandũ esse in in Literariũ. MIS. Mihi magis arridet Literarium otium, vt sit simpliciter, Quod consumitur in literis. Potest autem ita consumi in literis otium à plurimis, vt tamen eos literatorum appellatione vix dignos reddat. KÆN. Quum hoc fateris, etiam mutandum esse illud vocabulum, ex parte fateris. COR. Sicut otium literarium dictum fuit, (si cõiectura mea est εὐστοχε) quod studiis literarum impenderetur, sic liceat fortasse (liceat saltem per Kænophilum, sat scio) otium confabulatorium appellare quod confabulatores suis de variis rebus confabulationibus impendunt. Quum autem id nacti erimus, (præsertim verò tale vt pingue dici queat) aliquam eius partem volo ei in quo versamur, sermoni tribuamus, de vocabulis Latinis, aut etiam

loquendi generibus, quæ ne minimũ quidem suspecta sunt, quum tamen maximè esse deberent. Kæn. Annon & in Græca lingua idem vsuvenit? Cor. Ita. Atque id testari potest ille Test. noui locus (cuius memini me iãpridem apud te meminisse) vbi scriptũ est, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ. Haud enim audiui vnquam vllam vlli de hoc verbo μωρανθῇ esse ortam suspicionem: at mihi propemodum μωρὸν, aut saltem ἀπόμωρον, videtur, credere, μωρανθῇ ab ipsis Euangelistis scriptum fuisse. Ac veteris interpretis autoritas (quæ & alibi magna est apud me) hanc mihi suspicionem augere potest, vertentis, *Quòd si sal [illegible] euanuerit*, & ita ostendentis apertissimè se quoq; illã lectionem nõ sequutum esse. Kæn. Nunc memini & ipse te vocabuli illius apud me iampridem meminisse, tanquam tibi suspecti: sed non memini in quod tibi videri mutandum dixeris. Cor. Age tamen cum tua memoria vt illud depositum tibi reddat. Idem enim arcanum tuis pariter & Misokæni auribus haud

haud priùs à me deponetur, quàm ad illos otij confabulatorij (quod ex parte literarium futurum est) vētum fuerit. KÆN. Id est, (fortasse) quàm ad calendas Græcas ventum fuerit. Sed ô quomodo sermo noster à profanis ad sacra paulatim peruenit! A mulieribus enim Terentianis, sine fine modòq; se polientibus, se comentibus, ad illum Euangelistarū locum venimus: occasionē præbente sermone de locis minimè suspectis, quum tamē esse deberent. MIS. Itáne Kænophile mulieres rem profanam vocas? Non minùs aliquo epigrammate tuo inuectiuo dignus est Kænophilus, Coronelle, quàm ille Terentiani loci emendator, qui fœminas omnes sub vna Mycóno ponit, omnes pro impudentibus habet. COR. A iocosis istis ad seria, & quæ ad nouissimè institutum sermonem pertinent, redeundum (aut, vt antiquariè in gratiam Kænophili loquar, repedándum) censeo. KÆN. Per me non stabit. MIS. Nec per me quidem.

Cor. A loco igitur illo Terentij, vbi (quemadmodum dictum fuit, ac videre est) de re potiùs quàm de sermone agitur, ad alios veniendum est, vbi illa sermonis diuersitas, cuius exempla iam attuli, consideretur. Incipiam autem ab vno loco vbi vir idem eiusdem audaciæ (non tamen tam periculosæ, id est, non circa rem tam periculosam versantis) exemplum nobis proposuit. Nam quum antea de hac lectione non dubitaretur, in Andria, act. 1, sc. v, & quidem vtrobique,

Prò deûm atque hominum fidem,

sustulit vocem *fidem* Muretus, vt versum suo ipse modo metiri posset: quũ alij retineant: ac verba hæc *nullón' ego*, qnæ subiũcta sunt illis, & versum claudunt apud Muretum, in principio sequentis ponant: ac neque hoc includant has voces *quot modis* (vt ab illo fit) sed ad principium sequentis eas referuent. Scitis autem quàm laboriosè & & quàm variè saxum illud dimensionis versuum Terentianorum quidam volverint. Mis. Vix ignotũ cuiquam esse

esse hoc potest: ac eo minùs tanta illa audacia veniam meretur, extrudendi vocem quampiam è versu, vt hæc potiùs quàm illa dimensio ei conuenire possit. Saltem contenti esse deberent, annotare in margine, vocem illam sibi eiiciendam videri: nec typographi illis hoc faciendi potestatem dare deberent. KÆN. De typographis loqueris? quomodo maxima eorũ pars nosse queat quibus iniuriis affecta fuerint scripta vetera, quę dantur excudenda, quum vix prima literarum elementa cognita habeant? MIS. Tu Kęnophile, tua kænophilia vtens, breuiore vti quàm antea sermone poteris, & dicere, *Prò (vel proh) deûm atque hominum*, non autem *Prò deûm atque hominum fidem.* KÆN. Alibi etiam fortasse breuius illud loquẽdi genus occurre possit. MIS. Alibi etiam fortasse fuerit non minùs quàm hîc erratum, & ellipsis esse dici poterit, quæ tamen inscio Terentio contigerit: quum alioqui suas quasdam ellipses is habeat. COR. At ipse mihi perspicere videor quo-

modo vocis illius omissio excusari possit. Mis. Aliquid iocosum audiemus. iam enim te subridẽtem video. Cor. Præcessit, in scenæ principio, *Prò deûm atque hominum fidẽ*, quidni, vbi illa quatuor verba sequuntur, (licet satis longo interuallo) quintum ἀπὸ κοινοῦ repeti possit? Mis. Præsagibat mihi animus (vt in sermone de Terentio sim Terẽtianus) te iocaturum.

Cor. Hanc autem audaciam contra quosdam alios versus imitati sunt alij: & verò ante illum ea vsi iam nonnulli erant, præsertim tamen in detrahendis monosyllabis. Sic certè Palmerius in Andria, actus quarti scena secunda, tollit *vos* ante *amolimini*, & *te* ante *agis*: quorum tamen vtroque opus est.

Cor. Verùm ad aliud exemplorum genus venio, vobis gratificari cupiens. Heus tu Kænophile, tibi antiquario perit verbum valde omnium antiquariorum ore dignum. Perit autem per illam exemplarium discrepãtiam. Kæn. Quid verbi est? Cor. *Prodere*,

dere. KÆN. Curant quarij magis quàm alius ore dignum dicendum est hoc verbum? nisi fortè significationem à vulgari vsu discedentem habeat. COR. Habet. nam est illud quo Terentius in Andria vtitur, vbi Charinum introducit dicentem,

Credo, impetrabò vt aliquot saltem nuptiis prodat dies.

KÆN. Non facient vllam hîc iacturam antiquarij, etiamsi multa exemplaria non *prodat*, sed *protrahat*, exhibeant. Nititur enim illud *prodat* autoritate Donati (& quidem autoritate Lucilij id confirmãtis) necnon Nonij, & multorum exemplarium veterum. COR. Nec verò dubito quin *protrahat* sit expositio illius verbi, quæ in locum eius (vt sæpe fit) irrepserit. Cæterùm hic locus, vbi de dilatione agitur, mihi in memoriam reuocat quẽdam versum, paucarũ scenarum interuallo sequentem, vbi verbum *differat* haud illũ habet vulgarem vsum, (vt vulgus & multi etiam qui è vulgo non sunt, arbitrãtur) sed sonat *disturbet & in diuersum fe-*

rat, ipso etiam Donato teste. MIS. De hoc me monitum gaudeo, & gratiam habeo.

COR. Antiquariis periclitatur & hîc quoddam suum verbum, in prima EVnuchi scena,

Verùm si incipies, neque pertendes gnauiter.

Pro illo enim *pertendes* alia aliud vocabulum afferunt exemplaria, *perficies*. ExCharisio autem non *neque pertendes*, sed *neque pol tendes*, affertur.

COR. Antiquarius in periculum venit & verbum *caluier*, hoc in loco;

—nuncubi meam
Benignitatem sensisti te caluier?

Nam vox *claudier* è possessione huius loci deturbare vult vocem *caluier*: vt scribatur, *in te claudier*. Atq; (vt verum fatear) huius lectionis ego ante multos iâ annos acerrimus propugnator fui: KÆN. Ergo iam ante multos annos antiquariis aduersabaris. COR. Non omnibus, nec omnino: sicut nè nunc quidem. Sed tibi quorundam antiquariorum technam narrare volo. Fecerunt

sunt illi quod plerunque fit in aulis principum. Nam quum viderent se ex antiquario huius quidem loci sermone per vnam ianuam eiici, per aliam ingressum & quæsiuerunt & inuenerunt. KÆN. Beabis me hac de meis coantiquariis narratiuncula. Quomodo (quæso) ingressum alium suo antiquario sermoni inuenerunt? COR. *Claudier* pro Claudicare accipi dixerunt. Sed videndum apud quem antiquum scriptorem *claudere* pro Claudicare etiam inueniatur. KÆN. Inuenitur *claudicas* apud Plinium, sed à nomine *claudus*.

COR. Etiam suum *vtibile* antiquatij cuperent autoritate Terentij niti, in Phormione. Nam actus quarti scena quarta, quum legamus,

Quid minus vtile fuit quàm hoc hulcus tangere?

affertur è quibusdam codicibus *vtibile*: sed hi pauci aliis, qui multi sunt, aut potiùs plurimi, debere cedere existimantur. KÆN. Memini factam à te antea fuisse huius nominis *vtibile* men

tionem: quum diceres, quosdam in Lipsio valde id miratos esse. Addidisti autem & ex quodam poeta qui paulo ante nostram ætatem fuit (cui nomen Æsticampiano) exempla duo usus illius. Denique (quod præcipuum est) ita *docilis* pro Docibilis dici, addidisti.

Cor. Antiquarij in magnum discrimen de amittendo tandem suo etiam osso veniunt. Kæn. Quo de osso loqueris? Cor. De illo de quo tam acriter pugnatum fuit, vt vix vnquam acrius canes de vllo inter se pugnauerint. Mis. Nihil ego vnquam de ista siue tragœdia, siue tragicocomœdia, audiui. Kæn. Ne ego quidē. Cor. Statim faciam vt vterque sit sciens. (nā ego quoque in sermone de Terentio Terentianizare volo) afferam enim illud ipsum ossum de quo tanta fuit & nondum cessauit digladiatio. Sed ea conditione illud afferam vt statim aliò meam orationem conuertam. Aliâs autem fortasse de orta ex eo osso controuersia sermocinari poterimus. Kæn. Conditionem accipio. Mis.

Ego

Ego pariter. COR. Magnum est illud ossum, ac propterea mihi in eo afferendo laborandum, & sudandum etiam fortasse. MIS. Possumúsne ad illud afferendum nostram operam conferre? COR. Nequaquam. Sed ecce tandem illud,

Vidén', ossum & cibus quid faciat alienus?

MIS. Cuperem te hîc de quibusdam interrogare. KÆN. Ego quoque. Sed nobis promisso standum est.

COR. Nunc aliquid de locis iis dicendum est, qui quum superiori tempore emendati fuerint, & quidem rectè emendati, tamen ex nonnullis hodiéque editionibus inemendati prodeunt. Eorum vnus est hic, Heavton tim. act. 1, scena 1,

—— nisi eos qui opere rustico
Faciundo facilè victum exercerent suũ.

Quis enim ita Terentianizare audeat, vt dicat se *opere aliquo vel aliquo labore victum suum exercere?* Et verò ante multos annos prouisum huic lóco fuit, substituendo *exsarcirent* in locum illius

exercerent. Quum autem inueniatur & hæc lectio *sumptum exercerent suum*, non minùs placeret, *sumptum exsarcirent suum*.

Cor. Quid quòd ne vocem quidem *symbolum* hodie plerique in suis nouis editionibus in *symbolam* mutant? quamuis ego ante multos annos alteram illam vocem *symbolum* debere hîc exsibilari, explaudi, debere denique hinc ἀποσκοπίζεσθαι ostenderim. Et verò quidam, mihi certè ignotus, (quum ea quæ afferam, petita sint ex annotatiunculis ἀνωνύμως siue ἀδεσπότως editis) de me loquens, licet non Coronelli sed alio synonymo nomine appellans, scribit, Contendit ille in suo de linguæ Græcæ abusu libello, *symbolam* legendum esse. Et certè verisimile est: & ita in vet. codice legi annotant Georg. Fabricius & Faërnus. Hæc ille de me, id est, de lectione quam in alterius locũ substituo: sed quamuis meæ emendationi subscribar, & duos illos magni nominis viros ex veterum etiam codicum autoritate subscribere illi testetur,

tur, tamen in illa ipsa editione cui adiectæ sunt eę annotatiunculæ quarum vna hæc est, nō *symbolam* sed *symbolum* habemus. Ab illo tamen *symbola* esse constat & *symbolis*, in EVnucho, *In hūc diem vt de symbolis essemus*: sicut & *asymbolum* in Phormione. Verùm συμβολαὶ possunt dici & alia quæ singuli συμβάλλουσι, id est cōferunt. Ac, siqui ad scriptionem aliquam operas conferunt, illa scriptio dici potest esse ὁπ συμβολῶν. Ideóque, si singula symboli Apostolici capita tanquam collatitia considerentur, vt pote vnoquoque Apostolo (vt fertur) suum conferente, symbolæ Apostolicæ nominari possunt: & ita plures symbolæ esse dicentur è quibus vnum symbolum conflatum fuerit. KÆN. Rationi consentaneum est quod dicis: nunquam tamen mihi in mentem venerat. MIS. Tuum illum libellum de abusu Græcæ linguæ nunquam vidi, Coronelle. COR. Dabo operam vt videas: quòd si legere etiam non pigraberis, temporis in eo legendo positi te (vt spero) non pigebit. Fa-

cit autem Terentij mentio vt recorder quorundam, qui apud eum (sicut & apud Plautum, vel alium comicum) dicunt hunc vel illum προλογίζεσθαι: nec animaduertunt, verbo προλογίζεσθαι longè aliud significari quàm quod volunt dicere. Scis enim προλογίζεσθαι esse Præcogitare, vel Præconsiderare. Sic verò illos reprehendo in eo libello, qui dialogismum pro dialogo dicentes, non animaduertunt διαλογισμὸν esse à διαλογίζομαι. Mis. Recordor, te, non multo ante, quum de quodam loquereris, qui vellet *nuper notitia* ita coniũctè dictum vt *semper lenitas*, dixisse *vt scriberetur nuper-notitia*, καθ' ὑφέν: vt quidem ille loquitur. Cur ibi, *vt quidem ille loquitur*, addidisti? Cor. Quoniam ita loqui nolim: ac te meus ille docebit libellus cur ita loqui non liceat. Peius tamen à quibusdam dicitur, Per καθ' ὑφέν. Mis. Simulatque in manus meas veniet, eum hac de re consulam.

Cor. Ne hoc quidem omittam: mirum esse, quosdam (præsertim verò qui eius in Latinitate sunt sectæ cuius est

est Kænophilus) quum nihil aliud afferre noui possunt, saltem mutare cõsuetam vulgaris alioqui vocabuli scripturam. Quid dico vulgaris vocabuli? Immo aliquando accidit vt noua scriptura nouam etymologiam quærere cogat: ita vt iam nouũ sit vocabulum. Exemplum habemus insigne in *dissidiũ*: vbi dicit Pamphilus Mysidi, — *valeant Qui inter nos dissidium volũt*. Nam quamuis optima sit hæc scriptura *dissidium*, tãquam à verbo *dissideo*, sunt qui per quãdam kænophiliam (nec enim solus Kænophilus morbo kænophiliæ laborat) *discidium*, tanquam à *discindo*, scribunt. MIS. Et quidem hoc ab iis præcipuè fieri dicis qui eiusdem cum Kænophilo sunt sectæ. Quæ certè pulchra est antiquariorum periphrasis.

COR. Interim verò non cogitãt de mutanda scriptura vbi rationi consentanea (meo quidem iudicio) esset mutatio. vt in *suffarcinata*, siue *subfarcinata*. De qua mutatione meam aliâs audietis sententiam. KÆN. Et apud me certè vox illa haud suspicione caret.

Cor. Satis est tamen vobis antiquariis, vocabulũ aliquod dici antiquum: statim adorare velle videmini: eóque magis velle, quo est magis antiquum, & adeò vt priscum potiùs vocandũ sit. Addam etiam (sed de quibusdam tantùm antiquariis loquens) quo est magis obsoletum. Satis est, inquam, si antiquitas illud commendet: in ipsum minimè inquirẽdum est, etiamsi scriptura non permittat etymologiam significationi (quã habere dicitur) consentaneam dare. Kæn. Si vnquam vaciuas vlli tuo sermoni aures præbui, huic me tales præbuisse affirmare possum. Cor. Sed tu ad aures vsque vis esse antiquarius, qui eas *vaciuas* malis quàm *vacuas* appellare. Verùm perge: quod ex illis tam vaciuis auribus commodũ ferre te posse existimas? Kæn. Vt, siquo exẽplo id quod à te dictum est, mihi apertius reddatur, ex admonitione tua multo cautior euadam. Cor. Non stabit per exemplum quin istud commodum ex admonitione mea accipias. Tu igitur aures vaciuas

(nam

(nam ego pariter ad aures vsque volo esse antiquarius) mihi commoda. Si quis te *impunonem* vocaret, laudari te an vituperari existimares? KÆN. Dubius (vt ingenuè fatear) hærerem. COR. Quid si te impudentem appellaret? KÆN. Nullus (vt scis & ipse) dubitationi locus relinqueretur. COR. Qui tamen te impunonem esse diceret, is diceret te esse impudentem. Sed gaudeo quòd ista tua huius vocabuli ignoratio meã excuset. Nam (vt ipse quoque, in fatendo tibi verum, me ingenuum ostendam) mihi pariter ante aliquot menses ignotum erat vocabulum. Vnde factum est vt, quum amicis super hoc vocabulo hærẽtibus superueniissem (legebant enim antiquarij nescio cuius literas, in quibus quẽdam vocabat impunonem) & dixissent me commodùm superueniisse ad soluendum ipsis eũ in quo hærebant nodum: responderim, *Immo nullum meus superuentus commodũ vobis est allaturus. Non minùs enim quàm vos hîc hæreo.* Quum autem ex Nonio tãdem didicissemus,

voce *impuno* significatum ab antiquis fuisse impudentem: (velut in hoc Lucilij loco, *Homo impuratus, & impuno, & rapax*) nullus fuit qui non miraretur quo fieri modo posset vt *impuno* pro impudente dictus ab antiquis esset. Sed quum parumper omnes mirabũdi obmutuissem⁹, ego silẽtium primus rumpens, quandam emendationem ex coniectura talem afferre, vt cæteri in sententiam meam irent. KÆN. O quàm libenter tua illa coniectura à me audietur. Propter huiusmodi acroama (quidni enim ita vocem?) vel vadimonium à me desereretur. MIS. A me autem vel tria vadimonia, hanc coniecturam audiendi causa, desererentur. COR. Sed Kænophilus antiquarias etiam aures meo de antiqua voce sermoni præbebit, vaciuas videlicet: at tu non alias quàm vacuas. KÆN. Vt antea meam bonam libidinem exagitabas, ita tibi nunc in animo esse video aures meas vaciuas exagitare: sed tu hanc quoq; exagitationem & quamuis aliam à me condonaberis,

beris, dummodo hoc malo bonum illud redimam. MIS. O quale istud loquendi genus, *hanc exagitationem à me condonaberis.* COR. Ne Misokæne antiquarij nostri sermonem, vbi reprehensione carere debet, reprehende. MIS. Itáne hîc reprehensionem sermo eius nõ meretur? COR. Nõ meretur: si quidem fas ei est in eo loquendi genere Terentianizare. Apud hunc enim legimus, in EVnuchi prologo,

Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur.

Sed vidi tam male feriatum quendam & tam impunonem, vt eum non puderet in suo exemplari illud *condonabitur* emendare, & in *condonabuntur* mutare: quamuis reclamãte & modo non reuociferante lege numerorum versus. KÆN. O quàm audacem correctionem, si hoc animaduertebat: quàm crassam, si hoc non animaduertebat. MIS. Sed tu interim *impunonem* vocare hũc, cũ antiquario, cuius paulo antè mẽtionem feciſti, tibi permisisti: necnon (vt sæpe vna licentia aliam at-

trahit) vti vocabulo *reuociferante*, à te (vt suspicor) innouato. COR. Ad *impunonem* quod attinet, deprehendere potuisti, me subridentem eo vti: at vocabulo *reuociferante* etiamsi nullus antea vsus esset, id quod præcedit *reclamante* quandam eo vtendi potestatem dare mihi videtur. KÆN. Obsecro & obtestor vt ad tuam illam super voce *impuno* coniecturam veniamus. COR. Ad eam, etiam non interueniente tua obsecratione & obtestatione, venire paratus eram. Et quidem eccam ipsam: (si & mihi Terentianizare licet) volentem vt ex *impuno* fiat *impudor*: ideóque quem appellaui *impunonem*, linguam antiquarij sumens, eadem resumpta *impudorem* nominem. Diu vos moratus sum, antequam hanc meam coniecturam depromerem: (quod non vestra minùs quàm mea culpa accidit) quid? tandémne, *Grande moræ pretium*, dicetis? KÆN. Quidni dicamus? MIS. Vnus tantùm mihi iniicitur scrupulus: quòd in huiusmodi compositione vix soleant nomina substanti-

ſtantiua manere integra: vt manet pudor integrum, quum dicis *impudor*.
COR. Hunc tibi ſtatim ſcrupulum eximam. Annon enim *Concolor*, *Diſcolor*, *Verſicolor*, (quinetiam *incolor*, ſi bene memini) dicitur? & *Pudoricolor* ac *Nocticolor* dictum fuit? MIS. Exemptum mihi eſſe ſcrupulum fateor. Nã quod attuliſti exemplum, idcirco aptiſſimũ eſt, quia nomina profert quæ ſunt etiã eiuſdem cum eo de quo dubitabam terminationis: vt grammatici loquuntur. COR. Mihi de tua adſtipulatione gratulor. MIS. Sed aliquid habeo de quo te moneam. COR. Ego viciſſim aures habeo quæ ſemper vaciuæ (vt nunc quoque antiquarij noſtri os mũtuer) & purgatæ ſunt monitoribus. MIS. Tu Terentianizare (vt verbo tuo vtar) volens, imitatus es quendam verſum qui aliter in aliis editionibus ſcriptus eſt. Nam tu ita es illum imitatus, vt ſi ſcribendus hoc modo eſſet,

Sed eccam ipſam: miror vbi huic ego anteuorterim:

quum & hæc ſcriptura exſtet,

Sed eccam ipsam video: miror vbi huic ego anteuorterim.

Cor. Vel hic locus insigne est exemplum eius negotij quod circa Terentianum, sermonem faceſſit exemplarium diuersitas: atque iis quæ proposui exemplis hoc addendum est. Cæterùm, quum diuersę de qua monuisti scripturæ ignarus non essem, sequutus eam sum quę mihi magis probanda visa est: quum alioqui sciam aliquid opponi iis qui *eccam* pro *ecce eam*, sicut *eccùm* pro *ecce eum*, & *ellum* pro *ecce illum*, dici volunt. Sed de illa obiectione ac de tota re alius erit differendi locus. Mis. Immo vereor ne nunquam tibi alium illum differendi locum esse dicas.

Cor. Nvnc Kænophilo kænophiliæ eius acceptissima futura quædā volo proponere. Kæn. Gratiam de tam propensa voluntate habeo. Cor. Faciam, ita kænophilicè loquatur Kænophilus, vt vix eum, quamuis Terentianè loquentem, quisquam intelligat. Mis. Erit hoc, loqui & non loqui.

qui. Nam vt ille bonus vir dicit,

Non scribit cuius carmina nemo legit,

ita dicere posse videor, eum non loqui quem nemo intelligit. COR. Arrige, arrige aures Pamphile: (Terentius, quem in mente habeo, fecit vt Pamphilus pro Kœnophilo in lingua fuerit) iam ad implendum promissum venio. KÆN. Ad beandum me venis. COR. Faciam vt nouo modo sis antiquarius, & quidem vel ex vno Terentio. Ac primùm *crimen* dices, quamuis *discrimen* significare volens, ex illius celeberrimi comici autoritate. KÆN. Quis hoc credat? COR. En tibi ipsum comici locum, qui te ad credendum adiget: ex Phormione, actus secundi scena secunda, (sequendo quorũdam distributionem)

GETA. *Quid agis?* PHORMIO. *Quid vis? nisi vt maneat Phanium, atq; ex crimine hoc*

Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram deriuem senis?

KÆN. Non ita (credo) Donatus. COR. Aliud nihil apud eum legi (in editione

quæ prodiit ex officina Nicolai Brylingeri, anno 1555) quàm hæc, *Sic dixit Ex crimine eripiam, quasi ex incendio.* Kæn. Hoc nequaquam est dicere, vel ostendere, sibi videri crimen pro discrimine accipiēdum. Cor. Quid tum si ea in opinione non fuit Donatus? Et verò si quid esset vnde colligere possemus eum ità sensisse, nihil noui, nihil tuæ kænophiliæ congruens afferres. Adde quòd hodie magis σοφοὶ quidam sunt expositores quàm fuerit Donatus. Mis. Ita quidem, si homines δοξόσοφοι (quibus & hoc seculum abundat) vocari σοφοὶ debent. Kæn. Abundat certè hominibus qui nō solùm δοξόσοφοι sunt potiùs quàm σοφοὶ, sed etiam δοξομαθεῖς. Sed quam suę expositionis rationem ille affert? quisquis fuat. Cor. Profert hunc Virgilij locum,

— fere crimina belli.

Atque addit, Vt cernere pro discernere, & cerniculum pro discerniculum. Mis. Non est bona consequentia, vt vulgus loqui consueuit.

Cor. Ad aliam nouitatem venio.

ex

ex eadem officina profectam. Dico enim posse te alia quàm Græca pædagogi appellatione vti: & quidem quæ Latina Latinè loquenti sit conueniẽtior. KÆN. Scio quænam sit illa. COR. De qua me loqui arbitraris? KÆN. De voce *magister*. Nam & Donatus innuit restringi debere vocem istam ad pædagogi significationẽ, (sicut & in meo Thes. Gr. linguæ dixi) quum admonet, de pædagogo esse intelligendam hoc in loco Terentij,

—nam antea
Quî scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas, metus, magister prohibebant?

COR. Tu antiquarius quod antiquæ est Latinitatis ignoras: ego minimè antiquarius non ignoro. Antiquo enim sermone *monitor* dicebatur qui vulgo *pædagogus* vocari solet. KÆN. Quibus hoc testibus probatur? COR. Terentio & Horatio: illo, in suo Phormione, hoc, in sua arte poetica. nam ibi actus secundi scena prima Geta est *monitor*: ergo & pędagogus: & quidem

ita vt pædagogo appellationem monitoris tribuere liceat. Nam in Phormione, actus secundi scena prima, vbi Geta vocatur *monitor*, perinde est ac si *pædagogus* diceretur. Ac, quum Horatius in sua Arte poetica de iuuene (id est, de iuuenis natura) hoc inter alia canit, — *monitoribus asper*: sub monitorum appellatione pædagogos intelligit. Mis. Ergo (ignosce Kænophile quòd meus sermo tuum anteuertit) & Terentij & Horatij seculo ab aliis nullis iuuenes monebantur quàm à pædagogis. Kæn. Si credere fas est. Immo iuuenibus, vt hodie quoque, monitrices non defuisse, ex iis quæ in veterum scriptis legimus, credere cogimur. Sed illę scilicet monitrices magis proprio nomine vocari pædagogæ poterant. Mis. Mirum est, hunc, quicunque sit, non consideraſſe, monitorum appellationē multo latius quàm pædagogorum patere: & neminem quidem esse pædagogum posse qui nō sit monitor: sed non ἀντιστρέφειν hoc, ita vt nullus esse monitor queat nisi qui sit pædagogus. Cor.

COR. Video, me nouas meas merces, quas vobis expoſui, non bene (id eſt, non cum magno lucro) vobis venditurum: ſed aliquas tandem afferam fortaſſe quæ magis vobis placebunt. Avdite igitur. E triuialibus mercibus eſt iſta, *Diſcere*: at minime è numero triuialium eſt *Sectari*: quod idem valet. MIS. Quod idem valet, ſi diis placet. Ac libenter ad illa tua verba *quod idem valet*, reſpondiſſem hæc quę Pariſiis dici ſolebant me iuuene (præſertim in vrbis parte ſcholaſtica, vt ita loquar) *per quam regulam?* COR. Proponetur tibi iſte Terentij locus,

—— ibi homo cœpit me obſecrare
Vt ſibi liceret diſcere id de me: ſectari iuſſi.

MIS. Immo, *ſectari iuſſi*, non eſt Diſcere iuſſi: ſed Iuſſi ſectari, vt diſceret. Alioqui, quomodo de omnibus qui ſectantur aliquem diſcendi cauſa, dici poſſet, illud ſectari, eſſe idem quod diſcere: quum ne omnes quidem illi qui à diſcendo vocantur diſcipuli, diſcant? KÆN. Eadem fere dicturus ego eram.

Cor. Valde refractarios esse vos animaduerto: sed tamen ad aliud eius de qua agitur nouitatis exemplum venio. Annon enim tibi, Kænophile, nouum est *plorare* pro Implorare? Kæn. Admodum nouum esse fateor. Cor. At ecce tamen, Terentius ab illis qui sunt emunctæ naris sic vti verbo illo animaduertitur. Mis. Vbi locorum? Cor. In Phormionis prologo: in hoc ipso versu,

Et eam plorare, orare vt subueniat sibi.

Kæn. Quid nos cogit verbo Plorare illum insolitum vsum dare? Quid vetat quin ita hæc accipiamus, vt si, *plorando orare*, vel *cum ploratu orare*, dictum esset?

Cor. Refractarios vocabo vos iterum. De Kænophilo tamen potiùs quàm te, Misokæne, spes me fallit. Illum enim sperabam, pro sua kænophilia, ambabus manibus, siue (vt alij loquuntur) obuiis vlnis, has quæ à me proponuntur sermonis nouitates amplexaturum. Adiiciam tamen vnam, quam vel eo nomine quòd breuitati

seruiat,

seruiat, illi spero futuram longè gratissimam. AVdi igitur Kænophile: vbi de nuntiando agitur, nónne libenter inuenias verbum, quo vnico Noui quid & inusitati nũtiare, significetur? KÆN. Quidni? quis enim breuitati non studet? COR. At ecce, habes apud Terentium illud verbum. Sed experiri volo an poteris ariolari (dũ enim sum apud Terẽtium, quidni verbovtar quo & ipse vtitur?) quódnam sit illud vocabulũ. KÆN. Experieris me non posse. COR. Dicam igitur: illud verbum est *portare*. KÆN. Quæ exempla afferuntur? COR. Primum est hoc,

Dij boni, boni quid porto!

Secundum est istud,

Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam Portare.

Vísne & alia exempla ex eodem afferã? KÆN. Haud ea puto magis quàm hæc ad illud mihi persuadendum profutura.

COR. Vnius insuper circa Latinitatem nouitatis mihi venit in mentem: quam saltẽ haud passuram esse repul-

sam, sed locum apud vestras linguas esse inuenturam spero: atque adeo istud mihi polliceor. MIS. Vnde tibi de illa nouitate tantum spei, vel potiùs fiduciæ? COR. Ex eo, quòd ad illam spectat Latinitatẽ quæ ad rem culinariam pertinet. MIS. Nunc fortasse tibi animus est in patinis, vt nostri Terentij verbis vtar: atque hinc factum est vt illius Latinitatis, cuius mentionem facis, recordatus sis. Sed quid tandem est illud quod portas? Libet enim, quo iure, qua iniuria, eum dare vsum verbo *portare* de quo vsu loquutus sum paulo ante. COR. Antiquario, ac præsertim ei qui antiquarij Kęnophili kænophilo circa Latinitatem ingenio sit præditus, conuenientissimum est, *curare cibos*, potiùs dicere, quàm *coquere*. MIS. Ex qua verò Africa istud noui habes? COR. Ex eadem vnde & cætera. Sed en tibi, initio Andriæ, huius quam dico rei testimonium,

Nempe vt curentur rectè hæc.

Nec enim negari potest quin de rectè coquendo intelligat. Nam & Donatus,

tus, *curentur rectè* exponit, *diligenter coquantur.* Atque addit, *Curatio propriè medicorum est, cura reliquorum: sed coquina medicinæ famulatrix est.* In quibus postremis verbis Platonem sequitur Donatus. Scio autem quendam alicubi hæc è Donato ita recitasse, vt inuertēs diceret, *medicina coquinæ famulatrix est*: non sine magno omnium, præterquam duorū medicorum, risu. KÆN. Quid? nónne hæc saltem nouitas sermonis admittenda est, Misokæne, vt posthac *curare cibos* potiùs quàm coquere dicamus? MIS. Sed eadem opera, vel potiùs eodem Latinitatis genere coquina nominanda erit *curatio*, coquus vocādus erit *curator*. KÆN. Non libenter ad hæc vsque venirem. MIS. At ego ne illud quidē *curare cibos* pro coquere admitto. Fieri enim potest vt illud *curentur* non de coctione tantùm intelligēdum sit: (nam & is à quo condiuntur cibi, cur non itidem dicatur eos curare?) sed esto de alia re nulla intelligi: si hinc velimus inferre, ita posse nos vti verbo Curare vt dictum

est, quæ tandem erit ars quæ id quod facit, curare dici non possit? Haud tãtùm faber lignarius curare asserem dicetur pro Dolare: sed cuiusvis generis fabri quidquid fabricabuntur, curare dici poterunt. Cor. Vix tamen hoc ex illo sequi videtur. Quid ais Kænophile? mutásne sententiam? Kæn. Iam propemodum mutata est: ac, quum de cæteris quæ antea proposuisti concordarim cum illo, de hoc inter nos discordetur nolim. Mis. Rem mihi gratam facis, Kænophile, nam, si à me discordans, hanc καινότητα admisisses, te irrisisset Coronellus, & te libentiùs ei nouitati sermonis quę ad culinã pertinet, quàm vlli alij, dare locum dixisset. Quærat ille, quærat eos de quibus dictum fuit, comedones, heluones, lurcones, quibus manus frequenter, animus semper est in patinis: hunc eundem animum facilè (vt opinor) ad hãc nouitatem appellent. Cor. Itáne mę ad comedones, heluones & lurcones amandas, Misokæne? Mis. Immo, nõ te, sed tuam nouitatem. Cor. Absque

que te fuisset, dixissem statim de Kænophilo,

Decidit in casses præda petita meos.

MIS. Ex hisce tuis verbis magis mihi persuadeo verum esse quod suspicabar. COR. Quídnam? ô homo suspicacissime. MIS. Te minimè seriò loquutum esse in hac nouissima sermocinatione, sed iocari voluisse in iis quæ proposuisti Terētianæ in sermone nouitatis exemplis. Verè autem nouam & miram habent hæc Latinitatem, etiamsi è miro quidem sed minimè nouo scriptore petita sint. COR. Vtiam nihil dissimulē, alia ex me audisti, audiuit etiam noster antiquarius Kænophilus, è quibus coniicere potes quàm mei palati non sint hæ sermonis φανταστάσεις nouitates, siue imaginariæ: vt autem Græcogallicè loquimur, *phantastiques*. Sed his exemplis nostrum monere antiquarium volui vt sibi caueret ab imaginatione, deinde & imitatione, nouitatum huiusmodi. MIS. Aliquid profectò tale de iis quæ afferebas exemplis suspicabar.

COR. Quum autem ea quæ attuli exempla, ex vna eadémque officina sint omnia, alias esse officinas sciendũ vbi alię nouitates, sumpta itidem è sermone Terentiano materia, cuduntur, vel potius cusæ sunt: aut fortassis & cusæ sunt, & quotidie cuduntur. Earum è numero est hæc, *sperare* pro Timere, ex isto Terentij loco in Andria, actus secundi scena tertia (vt quidem nonnulli comœdiam illam partiuntur)

Nam quod tu speras propulsabo facile.

siue (vt in aliis exemplaribus) *speres.* MIS. Plurimi sunt qui te hunc verbi sperare vsum nolle admittere videntes, statim illum tam tritum Virgilij versum opponerent,

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

COR. Sed non deesset quo illis os obstruerem. Dicerem enim, incertum haud posse incerto probari. KÆN. Vix aliquid magis nouum illorum auribus afferre posses, quàm hoc, in dubium esse vocandam Virgiliani illius loci lectionem. COR. At vestris minimè

nimè nouum auribus esse istud potest. Nam ex me audistis, his me vidisse oculis exemplar vbi *spectare*, non *sperare*, legebatur: quod *spectare* huic loco & iudico, & mihi videor vobis & aliis persuasurus, esse conuenientissimum. At huic Terentij loco non est quidem quærenda alia scriptura, sed alia expositio. Proponi tamen aliam scripturam scio, videlicet *timeas*, vel *times*: (sicut *speres*, vel *speras*, vulgo legitur) sed ex falsa expositione factam falsò esse diuersam (vel potiùs contrariam) lectionem, respondeo. Nec dubiũ est quin illa apud Donatum verba, quibus fit illius alterius lectionis mentio, sint irreptitia, sicut alia quamplurima. Mirum est verò non consideraſſe illos qui verbo Sperare illam contrariam significationem dare ausi sunt, rationi consentaneum esse vt dicatur Pamphilus vanam & inanem spem concipere, & facilè refelli posse id quod illi materiẽ concipiẽdi eam præbeat. Quæ quamuis ita sint, memini me videre quendam antiquarium, qui magnum suo

sermoni ornatum afferre huic verbi *sperare* vsum existimabat; quum deberet considerare, abusum esse id quod vsum vocabat. Nam quid aliud est acyriologia quàm catachresis? quid aliud catachresis quàm abusus? KÆN. Scis tamen veteres & in aliis quibusdã verbis toleràsse catachresin. COR. Scio: sed magna ea est & vix tolerabilis, per quam contraria verbo cuipiam datur significatio. Verùm, ad alia vt veniam, quæ huic nominatim scriptori, sub archaïsmi prætextu, affingũtur: ab alio quodam antiquario *homo aduentus* pro homine qui aduenerat, dicebatur: tanquam Terentio ita hîc loquuto,

Ego commodiorem hominem, aduentũ, tempus, non vidi.

Sed ille antiquarius (vt cogitare potes) tam perspicax erat vt ne hîc quidem videret, interpunctioni inter *hominem* & *aduentum*, locũ esse dandum. Quin etiam fortasse, vt audiuerat aliquando *hominem præuentum* (veluti quum dicimus aliquem ab alio præuentum, vel

vel aliquem morte præuentũ) ita posse dici hominem aduentum imaginabatur. KÆN. O quid aliud non fuisse dicturum Terentium existimabit, qui eũ ita esse loquutum sibi persuadet? Interim verò animaduertendum est in quantum interdum errorem incidatur, è non animaduersa interpunctione, quæ vel posita est, vel poni debuit.

MIS. Quandoquidem de interpunctione nunc agitur, quæ, quòd animad uersum nõ fuerit ipsam notatam esse, aut notari debuisse, in errorem impulit eum qui existimauit Terentium dixisse *homo aduentus*: vobis indicare volo quomodo alia interpunctio eundẽ apud comicum ludificata sit eundem: ita vt crediderit Terentium quodam archaïsmo vti: quum tamen Terentius nihil minus cogitaret. KÆN. Cautum me hoc exemplum reddet. MIS. In Hecyra, actus quarti scena quarta, legere consueuimus,

Egi, atque oraui, tecum vxorem vt duceres.

at ecce, nunc præter consuetudinem nobis legendum proponitur,

Egi, atque orani tecum, vxorem vt duceres,

interpunctione post *tecum*, non post *orani*, posita: vt videlicet archaismus sit, *orani tecum*, pro Orani te. KÆN. Verum hoc certè est, dici ἀρχαϊκῶς, *orani tecum*, pro Orani te. COR. Sed hoc quoque deberes addere, non esse moris dicere, *vxorem secum ducere*: sed *vxorem ducere*: videlicet *domum*. Qui accusatiuus olim supprimi non solebat. MIS. Sed considerandum est præcessisse,

Primùm, hanc vbi dixti causam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc vxorem domi,
Pollicita est ea se concessuram ex ædibus.

COR. Hoc inter alia expendendum esse censeo, an Terentius dicere soleat *oro tecum*, non *oro te*: ne illum ἀρχαΐζοντα, etiam vbi nolit, habeamus. KÆN. Non tam mirum tamen fuerit, (meo quidem

quidem iudicio) Terentium in hoc loquēdi genere ἀρχαΐζειν, quàm in *neno* pro *non*. si tamen verum est, *nemo* in *neno* mutari debere, in EVnucho. MIS. O quale vocabulū *neno* pro *non*. KÆN. Immo affertur etiam *nenum*, & *nenu*. COR. Hoc non ignoro: atque adeo consideraui aliquando inde fortassè originem habere illud & nobis Parisiensibus satis familiare *nenni*. MIS. Gratulor meis auribus quòd de his tribus siue fratribus, siue sororibus, Neno, Nenum, Nenu, præmonitæ fuerint. Si enim ad illas, non præmonitas per alicuius antiquarij kænophiliam, accidissent, periculum fuisset ne obstupefactæ soni insolētia obsurdescerent. Et mihi quisquam persuadebit, Terentium, qui, licet ἀρχαΐζειν aliquando volens, alias pleraſque voces, haud ita horrisonas, vitauit, aliquam harum admisisse? COR. Extremis locorum deprauatorum morbis extrema emēdatores adhibere remedia coguntur. Considerandum est autem esse interdum apud scriptores vetustos ἕλκη ὑπο-

λα, quæ aliis multo sunt δυσιατότερα. Sed haud possum non ringi, (quidni enim circa Terentij sermonem versans, alicubi Terentianizem?) quum sanis etiam locis video medicinam adhiberi. Et quidem hunc esse vnum ex eorum numero dico, initio Andriæ, *haud muto factum*. Quis enim non videt perinde esse acsi diceretur? Non muto meam de eo quod feci sententiam. Mutat autem suam de eo quod fecit sententiam is quem id feciſſe pœnitet. Ac, si bene memini, apud Thucydidem, οὐ μεταβάλλομαι eodem sensu dicitur. Quod sonat, (vt scitis) Non mutor. MIS. Quo autem modo emendatur hic locus? COR. Interrogare potiùs debebas quomodo deprauetur. Nam *muto* in *multo* mutatur: vt accipiatur pro Damno. Ac fateor quidem non esse nouam hanc emendationem, quum & Donatus eius mentionem faciat: (nisi fortè quod de ea dicitur, ex iis est quæ Donati cõmentariis infarta sunt) sed indignor quòd à nonnullis hæc lectio in alterius locum substituatur.

Quòd

Quòd si vultis vt hunc sermonem alia expositiuncula claudam, (quam non sine risu audietis) eam non denegabo. MIS. Præsagit animus qualis futura sit. Iam enim incipio nõ quidem μῦθον, sed μυσταγωγίαν. COR. *Haud mutofactum* ita exponunt vt *muto* non pro verbo, sed pro nomine habeant. Quasi nimirum diceretur, Istud beneficium non collatum est in hominem qui de eo mutus sit futurus. MIS. Non fallebaris quum dixisti, nos expositionem illam non sine risu audituros. COR. Vt autem hîc è verbo nomen factum fuit: ita quidam è nomine aduerbium faciebat: hoc in loco, *Et heri semper-lenitas* (debet enim scribi *semper-lenitas*, ὑφ' ἑν) *mirabar quorsum euaderet*. Nam illius expositio risu haud minus digna è nomine *heri* aduerbium faciebat. Quid verò de Eographij expositione dicemus huius initij prologi in EVnuchũ?

Si quisquam est qui placere sese studeat bonis
Quamplurimis, & minimè multos ladere.

Nam is, nodum in scirpo quærens, dubitat an *quamplurimis* legendum sit, tãquam coniunctè scriptum: & tandem disiunctè scribi mauult *quàm plurimis*. vt sit sensus, *Qui bonis potiùs quàm plurimis placere se studet*. Atque huc affertur illud Græcorum (& quidem Homeri nominatim) βούλομαι ἤ, sequente infiniti modi verbo, pro βούλομαι μᾶλλον ἤ. Sed ne Græci quidem cum quolibet alio verbo, etiam quod eiusdem generis significationem habeat, illa ellipsi vtuntur: nec locus tam subtilem poscere expositionem videtur. MIS. Tibi profectò assentior, illum Eographium hîc nodum in scirpo quæsiuisse.

COR. Ad diuersas lectiones reuertens, hoc etiam addam: Haud temere admittendæ sunt illæ præsertim quæ vocem & Latinam absq; dubio, & valde etiam vsitatam, nec nõ loco aptam & conuenientem, à nobis amãdari volunt, vt ipsæ, quòd earum sint è numero quas homines antiquarij amant, & in honore habent, intrudantur. Ac multo etiam minùs, quum vox illa ex-

emplis

exẽplis destituitur, quæ omnem de illa dubitationem nobis tollant. Palmerius tamen in hoc Terentij loco,

Omnes quibus res sunt minùs secundæ,
magis sunt nescio quomodo suspicioſi,

libenter persuaserit vt in locum nominis *secũdæ* substituamus *abũdæ*. MIS. Apta tuæ kænophiliæ fuerit, Kænophile, vox ista *abundæ*. omnibus enim nouam & inauditam fore existimo. KÆN. Quasi verò mea kęnophilia cuiuis exemplari sit credula.

COR. Tantum abest vt quælibet vocabula, quæ tanquam antiqua, aut etiam prisca, afferuntur, tam facilè sint admittenda, vt, siqua nobis occurrant sermone antiquo exprimenda, & contingat vt duos antiquos scriptores tanquam viæ duces habeamus, nõ tamen omnino eadem via nobis præeuntes, etiam atq; etiam videndum nobis sit vtrum sequi debeamus. Exempli gratia: duo sint antiqui scriptores, quorum vnus *bibonem*, alter *biboſum*, quẽpiam vocauerit, nulla dubitatio relinquitur quin cum qui analogiam sequi-

tur, potiùs quàm alterum sequi oporteat. Sequitur autem analogiam qui *bibonem*, non qui *biboſum* dicit: ſicut eam ſequi dicendi ſunt ij etiam qui *bibacem* appellãt. Nam vt è verbis Edo & Bibo ducebant *edonem* & *comedonem*, ſic quidni à verbo Bibo *bibonem*: & ſicut ab Edo *edax* (cui ſimile eſt *vorax* à Voro) quidni à Bibo fieret *bibax*? At illa in *oſus* deſinentia vocabula, potiùs à nominibus q̃ à verbis deduci conſtat: ac in promptu ſunt exempla. Dixit tamen *biboſa* Laberius: ſed is præquouis alio vocabulorum innouator habitus fuit: & tamen hoc in loco, qui ex eo affertur, *Non mammoſa, non annoſa, non biboſa, non procax*, hoc vocem iſtam quodammodo excuſare videtur, quòd poſt duas quæ in *oſa* itidem deſinunt ſit collocata: tanquam gratię magis quàm illius conſuetudinis Latini ſermonis habita ratio fuerit. Ab eodem Laberio amantem mulierem dictam fuiſſe *amorabũdam* audimus: quo verbo alius fortaſſe vſus minimè fuiſſet, quum ne vllam quidem analogiæ ſpeciem

ſpeciem, ac (ſi ita loqui licet) vllam vel vmbram pro ſe facientem habeat. Atque huc reſpiciens (vt opinor) Gellius, verbum eſſe inuſitatiùs fictum dixit. Quinetiã alibi vocum innouatorem eum appellat. Cæterùm quod attinet ad illa ſiue antiqua ſiue etiã priſca vocabula, quæ, quum ſynonyma ſint, terminatione tantùm diſcrepant: ſicut non dubium eſt quin *bibonem* potius quàm *biboſum* dicere debeamus, ita dixerim dubitatione hoc carere, è duobus etiam quibus idem ſcriptor vtitur, vnum alteri interdum præferendum eſſe: ideoq; *manduconem*, potius quàm *manducum*, dici ex Plauto debere: & *peruicacem* (nam & hoc vocabulum fuiſſe antiquis quoque in vſu conſtat: ac nominatim ex Plauto, non minùs quàm affertur ex Accio, afferri exiſtimo) potius quàm *peruicum*, aut *peruiconem*: ſi tamen & hoc vſum eſſe, verum comperiatur. Ac, quum hîc de terminationibus agatur, in memoriam reuocandum fuerit quod de vocabulo *peſtilitas*, quo vſus eſt Lucretius, di-

ctum fuit: id fortasse non omnibus sui seculi doctis hominibus probasse: quũ ab analogia tam dissentiat *pestilitas*, q̃ *pestilentia* illi assentitur.

Mis. Vides, mi Kænophile, vides, & ex his & ex aliis multis quę à Coronello antea tibi oppositа fuerunt, quàm spinosa res sit ille qui ad bene vtẽdum antiquario sermone (quod antiquariari quidam è vestris vocant) habendus est verborum delectus: quàm magna circa vsum illius sermonis cautio adhibẽda sit: vel potiùs quàm multas cautiones adhibere circa illum oporteat. Quum autem illis te adstringere nec solere, nec posse, satis sciam: vtinam eas tãdem pertæsus, in regiam Latinitatis viam reuertaris. Cor. Ego pariter te etiam atq; etiam rogo ne sis in illa tua secta (parum abfuit quin dixerim illa tua liga) adeo pertinax. Kæn. Esse quidem soleo propositi tenax, sed non soleo tamen in eo pertinaciari, nisi cum ratione. Mis. O quale verbum *pertinaciari*. Nos (credo) tuis horrisonis vocibus tandem procul

procul fugare decreuisti. Enimuero vulnera telis nostris facta patimur. Per nostram enim patientiam & conniuentiam & indulgentiam tua creuit licentia: nimirum quòd tibi vtenti alijs tot vocibus, quæ omnino exleges, vel potiùs (vt Græci significantiùs loquuntur) παρέγνωμοι sunt, impunitas data fuerit: miniméque vlla censoria nota propter illas sis notatus. Sed nondum euasisti. Ea enim omnia propemodũ tua verba quæ censoriam mereri notam visa sunt, in meas tabellas retuli: ac de ijs reus factus, quum primũ conueniemus (nam hunc cõuentum mox solutum iri video) periclitaberis. Nisi fortè ante illum proximum conuentum tibi resipiscere contigerit. KÆN. Naucifacio tuas minacias: titiuilitium mihi sunt. MISOK. Aliquid fortasse non animaduertisti, Misokæne, quod adiecit illi suo vocabulo Pertinaciari, non antiquario sed tantùm ridiculario. Dixit enim se pertinaciari velle cũ ratione: atqui *pertinaciari velle cum ratione*, quid aliud est quàm *insanire*

velle cum ratione? vt quidam apud noſtrum illum comicum loquitur. In malam enim partem ſumatur hoc verbum *pertinaciari* neceſſe eſt: ſiue alicubi à te inuentum, ſiue (quod mihi fit magis veriſimile) pro antiquaria audacia innouatum fuerit. KÆNOPH. Peruicacia in malam partem ſemper, ſed non pertinacia, ſumitur. MISOK. Inuertis quod à Nonio traditum atque ex Accio probatum fuit: Peruicaciam & Pertinaciam hoc diſtare, quòd Peruicacia ſit interdum bonarum rerum perſeuerantia: Pertinacia, ſemper malarum. Atque is iſtis Accij verſibus diſcrimini à ſe poſito fidem facit,

Tu pertinaciam eſſe Antiloche hanc prædicas:

Ego peruicaciã aio, & hac me vti volo.

Nam peruicacem dici me eſſe, & vincere,

Perfacilè patior: pertinacem, nil moror.

Hæc fortes ſequitur, illam indocti poſſident.

Tu

Tu addis quod vitio est, demis quod probro datur.

Mala autẽ, vel potius pessima est hæc vulgaris lectio versus tertij,

Nam peruicacem dicis me esse, & vincere.

Nec vltimus certè mẽdo caret, & quidem maximo. Contrarium enim dicitur ei quod vt dicatur, & rationi & præcedentibus consentaneum est. Lego igitur, *probro haud datur.* Nam in hac lectione, *demis, quod laudi datur*, suspicor illud nomen *probro* in hoc *laudi*, ex coniectura esse mutatum. Cæterùm videri fortasse possit Cicero ad peruicaciæ etymum alluisse, vbi *pertinaciæ* appellationi *studium vincendi* subiunxit: *Cum Zenone, inquã, vt accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, nõ pertinacia, aut studio vincendi.* &c. KÆN. Inducere in animum haud queo vt hîc Nonio fidem habeam. MIS. Atqui eadem opera fidem antiquissimo poëtæ vir antiquarius derogabis. KÆN. Quid tum? dummodo fidem veritati non derogem. Ac voluit fortasse in il-

lis versibus ludere Accius, non autem pensiculatè & amussatim de illa re agere. MIS. Habésne cuius autoritate nitaris? KÆN. Habeo. MIS. Quem? KÆN. Titum Liuium. MIS. Multum fuerit si vllũ tibi vel ad vmbram autoritatis Liuij pateat confugium. KÆN. Quum autoritatem Liuij dixi, nihilo magis de vmbra autoritatis eius quàm de prouerbiali asini vmbra cogitaui. MIS. Cedo igitur ipsa Liuij verba, KÆN. Hæc sunt, *Vincit omnia pertinax virtus*. MIS. Mendosus fortasse est locus. KÆN. Hoc verè est effugiũ quærere. Etiam apud Suetonium *pertinaciam* in bonam partem dictum, itidémque *pertinacem deorum indulgentiam* apud Valerium Maximum obseruasse mihi videor. Verùm age, Coronelle, candidè (quæso) atque ingenuè tuam & de Nonio & ipso Accio sententiam expectora. COR. Nonio sæpe contradixi: & nunc quoq; illi contradicere non dubitarem: sed hoc fuerit, Accio sub persona Nonij contradicere: ac (quod nostrate iactamus pro-

prouerbio) canem coram leone verberare. Atqui si rem tãtam ausus fuero, quid me fiet? Dicetis ô vos antiquarij, quum in senatum vestrum conuenietis, Quid mirum si Coronellus iste antiquarios tantum infimat quantum cæteri eos sublimant, quum vel Accium, poëtam antiquissimum, titiuilitij faciat? KÆN. Hoc tibi sanctè polliceor, nequaquam à me illa tua sententia eliminabitur. COR. Tuo promisso confisus, in tuum sinum ea quæ pectoris mei latebris tegebantur, effundam. Non videtur mihi Accius Pertinacis appellationem, & Pertinaciæ, quæ ex illa est facta, introspexisse. Ac tantum abest (meo quidem iudicio) vt illam introspexerit, quantum abest verbum Peruincere à Vincere. Quantum autem absit, an hoc breui carmine iampridem satis ostenderim, vestrum iudicium erit:

Contentus haud es, posse te iam vincere
Ex parte quod vis, prorsus id vis vincere.

Vt non malum esse dico, velle vincere,
Dico, malum esse, velle te peruincere.
Hinc dicitur enim quispiam esse peruicax.

Necesse erat ostendere quantum inter illa duo sit discriminis, & hoc considerandum proponere: quum ab eorum vno originem habeat Peruicax: vnde facta Peruicacia est. KÆN. Rem acu tetigisti in pauculis hisce versibus, quod ad etymologiam nominis Peruicax attinet, dicti pro Peruincax. Animaduerto autem, te in horum versuũ duobus ἀρχαΐζειν: (quamuis te neges antiquarium) in primo,

Contentus haud es, posse te iam vincere:

& in quarto,

Dico, malum esse, velle te peruincere.

In adiectione enim pronominis *te* ἀρχαΐζεις. Ac memini, te, de obseruando apud Salustium tali archaïsmo me monuisse: vbi scribit, *Omnes homines qui sese student cæteris præstare animantibus:* & de iis loquutum esse qui pronomen cum verbo *student* iungentes, Salustia-

lustianum esse loquendi genus aiunt, *Studere sese*, vel *Studere se*. COR. Perinde videlicet acsi dicendum foret *Studeo me*, sequente infiniti modi verbo: non aliter quàm Gallicè dicitur, *Ie m' estudie*. KÆN. Postea autem recordatus sum loci Terentiani eandem adiectionem habentis, in EVnucho, initio prologi,

Si quisquam est qui placere sese studeat bonis Quamplurimis.

COR. Existimare videris, adiectionem illam locum habuisse tantùm vbi vterentur verbo Studere: sed longè fallereris. nam ecce apud hunc ipsum comicum, scena prima eiusdem comœdiæ, *Mori me malim*. Quinetiam inter illos Acci; versus qui à Misokæno recitati fuerũt, is qui secundus est, additum habet pronomen *me*, ex huius archaismi consuetudine: (quamuis tum id nihil minus quàm archaismus esset)

Ego peruicaciam aio, & hac me vti volo.

Sed malè, in quibusdam exẽplaribus,

& à me vti volo. KÆN. Equidem non animaduerteram hoc in versu quod dicis: ac me hîc quoque à te esse admonitum gaudeo. Cæterùm, quum de vocibus Peruicax & Peruicacia dixisses, supererat vt de Pertinax & Pertinacia diceres. Quod vt facias velim. COR. De Pèrtinace & Pertinacia, id est, de vero harum vocum vsu, non immeritò dubitabundos reddet illa ipsa dubitatio quæ est de vera lectione eius loci Varronis, vbi de voce Pertinacia agit. Incidi enim in quoddam vocabularium, vbi hæc legũtur, *Varro à pertendendo dictam esse pertinaciam, & in malis rebus locum habere, ostendit, lib. 4. de lingua Latina. Quum* (inquit) *in quo non debet pertendi, pertenditur, Pertinacia est: quum in eo in quo oportet manere quis perstat, Perseuerantia est.* Statimque ab eo à quo hæc sunt annotata, (cuius nomẽ mihi incognitum est) additur, *Ex quo intelligitur, falsum esse quod antea hîc legebatur, in bonam quoq; partem sumi. Nam exempla quæ posita erãt, omnino diuersum ostendebant vsum.* Sed quid si omissa fue-

fuerint à librariis exẽpla alterius vſus, (quo in bonam partem ſumitur) quæ Varro ad confirmationem eius attulerat? Vtcunque ſe res habeat, quod ad Varronis locum attinet, non veriſimile eſt ita auſurum fuiſſe Liuium loqui, *vincit omnia pertinax virtus*, niſi in bonam interdum partẽ ſumi hoc vocabulum ſciuiſſet. Ei autem quod dicitur, in bonam partem Peruicax potiùs ſumi quàm Pertinax, cùm alia opponi exempla queunt, tum verò iſta (meo quidem iudicio) Horatij, *Thyades peruicaces, & Achilles peruicax*. Cæterùm ne de duobus quidem iis quæ illi voci Pertinax dantur etymis, aſſentiri pleriſque aliis poſſum: quorum nonnulli à Perteneo, contra Varronem, nonnulli à Pertẽdo, cum Varrone, deducunt. A Perteneo enim (nam qui à Pertineo deducunt, ne mentione quidem ſunt digni) deriuari non placet: quum Pertenere, quo vellent ſignificari Valde tenere, & Tenacem eſſe (ac nominatim, Tenacem eſſe ſuæ ſentẽtiæ) inauditum ſit verbum, vt quidem

opinor. Altera autem à Pertendo paragóge, etiãsi autoritate Varronis nitatur, à me haud minus reiicitur: non quòd non putem, Pertendere alicubi vsum habere respondentem & analogum ei quem habet Pertinax: (nam videor mihi, apud vnũ ex elegiacis poetis, & quidem Propertium, eum vsum obseruasse: & videri potest Græcum διατείνεσθαι in eo imitari) sed quòd Pertinacia dictum esse quasi Pertendentia, mihi non possum persuadere. Quanto autem minùs Pertinax, quasi Pertendax (quod tamen Pertinax nomini Pertinacia præisse necesse est) dictum fuisse, credibile fuerit? KÆN. Quum ædificatas ab aliis etymologias demolitus sis, nunc aliquam moliaris necesse est. COR. Non magnæ molis mihi erit aliquam ædificare: quam tamen destruere, magnę molis futurum spero. KÆN. Quam igitur illi ædificasti etymologiam? videris enim vt de re iam facta loqui. COR. Talem vt à *tenax* deducatur, & Pertinax quasi Pertenax

tenax

tenax dictum existimetur. Ideóque in hoc Plauti loco,

Quid tu ais? tenáxne pater eius est? Immo ædepol pertinax,

scribendum fortassis esse *pertenax* & aliâs credidi, & nunc quoque credo. Nam Plautum, ad duas simul significationes respiciendo, ludere voluisse arbitror: quasi non is solùm qui esset valde tenax, dici posset pertenax, sed is etiam qui pertinax quidem, verùm quasi pertenax, appellaretur. Cæterùm, quum iampridem in hac fuerim opinione, incidi non ita pridem in quendam Fabij locum, qui facit vt in ea libentissimè permaneam. Quidni verò iam audeam (ex iis quas attuli rationibus) vt in ea pertinax sim, dicere? Fabij locus est hic, libro vndecimo, vbi de artificiis agit quibus vtendum est ad detrahēdam rei inuidiam. Nam ibi, de eo qui sit *pertinax*, ait posse dici, eum *vltra modum tenacem esse propositi.* Sed totam periodum afferam: *Verborum etiam moderatione detrahi solet si qua est rei inuidia: si asperum dicas nimium*

seuerum: iniustum, persuasione labi: pertinacem, vltra modum tenacem esse proposiți. Non dubium est autem quin dicere possimus, eum qui ita per μείωσιν loquitur, ὑποκοείζεσθαι. Opponi tamen Fabio posse quis dixerit fortasse illum Horatij versum,

Iustum & tenacem propositi virum:

sed de bono proposito Horatius, de malo Fabius loquitur.

Mis. Quid hoc sibi vult? ita Coronellum pro Kænophilo, aduersus Misokęnum, facere? Cor. Non pro Kænophilo sed pro veritate facit Coronellus, aut saltem facere sibi videtur. Mis. De te autem quid dicam, Kęnophile? te, virum antiquarium, antiquissimi illius poëtæ autoritatem titiuilitij (vt ego tuo non antiquario solùm sed noue antiquario sermone vtar) facere? Quum enim Accio fidem derogas, nónne illi omnem, quantum in te est, abrogas? Ac, dum autoritatem illi abrogas, nónne fenestram ad abrogandam & aliis paulatim, aperis? Kæn. Ne ego quidẽ, quamuis antiquarius,

pro

pro vllo antiquorum scriptorum contra veritatem facere velim. COR. Quid verò tuum *pertinaciari* interim agit? Ne pro derelicto habere videamur, ad ipsum reuertendum est: & quidem ego id faciens primus, dico, cogitandum tibi esse, nihilo magis dici posse Pertinaciari à Pertinax, quàm Peruicaciari à Peruicax, & Contumaciari à Contumax. KÆN. Quid si verò & hæc dicantur? COR. Quid si verò non dicãtur? KÆN. Auribus tamen antiquario sermoni assuetis insolẽtem sonum non habent istæ voces: ac valde fallor ego, aut earum vnam saltem apud quempiam ex antiquis legi. De vno quidem certè verbo, cuius similis origo est, mihi istud nõ negabis. COR. De quo verbo? KÆN. De verbo Minaciari. Est enim hoc à nomine Minax, sicut illa fiunt à nominibus, quorum vltima eiusdem soni est cuius istud Minax. Nam tibi notum est, eodem & dici & declinari modo Pertinax, Peruicax, Contumax, quo illud Minax. COR. Vide ne fallatur tua me-

moria de illo Minaciari. Kæn. Non falli sat scio. Cor. At mihi videor sat scire non afferri ex vllo antiquo scriptore Minaciari. Minaciæ tamẽ apud Plautũ legi fateor: ac te eo vsum paulo ante esse reminiscor: quum diceres Misokæno, *Naucifacio tuas minacias. titiuilitium mihi sunt.* Kæn. O quàm es diligens meorũ verborum obseruator: at ego tua nullus obseruo. Cor. Quid mirum? notabilia sunt, magna ex parte, viri antiquarij verba: at ego in antiquariis nomen haud profiteor. Kæn. Facile tamen tibi esset antiquariari: ac breui ad primum antiquariatus gradum euaderes. Cor. Ad illam peruenire dignitatem haud cupio, sed potiùs te hortari vt ei valedicas, velim. Verùm hac de re postea: nunc autem ex te, tanquam discipulus è magistro, intelligere cupio cur non contentus fueris dicere, *Naucifacio tuas minacias*: (poteras autem & *Floccifacio* non minus Plautinè dicere) sed adieceris, *titiuilitium mihi sunt.* Nam quid adiectione ista opus erat? Kæn. Superuacua

non

non nocere, respondent iurisconsulti. COR. Suspicor, (assentiens iis quæ paulo antè à Misokæno dicta fuerunt) antiquariis, sicut & poetis, suum quendam furorem esse: & agitate illo haud posse linguam continere. Vereor tamen ne omnes antiquarij dicere cum poetis haud possint,

Est furor in nobis, agitante calescimus illo:

sed debeant plurimi dicere potiùs,

Est furor in nobis, frigescimus hoc agitante.

KÆN. Tu de furore antiquarios agitante loqueris: quod verum esse, tibi haud concedo: sed te verè illos agitare & exagitare, ac subinde id facere, id verò facilè concesserim. COR. Vt huic odioso tibi sermoni finem imponam, fatere mihi annon verum sit quod de adiectione illa dicam: Kenophilum in animo habuisse, loquentem κενοφιλικῶς, dicere, *Titiuilitiifacio tuas minacias*: quum autem hæc compositio aures offensura illi videretur, maluisse dicere, *Nauscifacio tuas minacias*: & addere,

titiuilitium mihi sunt. Kæn. Adytum tibi erit istud conſciētię meæ arcanum, vnà cum aliis multis; donec te in noſtris antiquariatus myſteriis ſymmyſtam habeam. Cor. Perinde eſt acſi Kænophilus Coronello diceret, Interim, Coronelle mi, — ἐχὰς ἐχὰς ἔσο βέβηλε. Sed, vt huic ſermoni finē imponam, hoc tantùm ei adiungam, (in tuæ conſcientiæ adyta penetrare nolens) potuiſſe te, abſq; compoſitione vtentem appellatione titiuilitij, dicere, *Titiuilitij facio tuas minacias*: ſicut & *nauci facio*, & *flocci facio*, diſiunctè dici poteſt.

Verùm, ad *minacias* quod attinet, Plautinum eſſe fateor, vti iam faſſus ſum: quinetiam addo, (quod tu non animaduertiſti), Gallicum ſermonem inde feciſſe *menaces*: (nā *mines*, quamuis ad Latinum *minæ* ſono proximè accedēs, ab eo in ſignificatione ſcis longè recedere.) ſed tuum fuerit aliquem alium Plautum quærere, & quæſitum inuenire, qui Minaciari dicat. Kæn. Noſti, Gallicum ſermonem habere etiam verbum *menacer*. Quis dubitet autem

autem quin vt nomen *menaces* à nomine *minaciæ*, ita verbum *menacer* à verbo *minaciari* deduxerint? COR. Immo iam tibi cum eo homine res est qui illa de re dubitat: nimirũ an Galli ex illo suo *menaces*, facto è Latino, & quidem antiquo, *minaciæ*, (licet non præeunte verbo *minaciari*) fecerint *menacer*. Et fatetur tamẽ idem, Gallicã linguam alia etiã imitationis vocũ priscarũ habere exẽpla: & quidem quod ad illas etiam attinet quæ alio quoq; modo ab iis discrepant quæ in vsum postea venerunt. E quorum exemplorum numero insigne est *Grunder*, siue *Gronder*. Maluit enim Gallicus sermo priscorum Latinorum vocem *Grundire* imitari, quàm hanc à posteris eorum in locum illius substitutam, *Grunnire*. KJÆN. Occupatus nunc animus est ac pertinax in quærenda voce illa Pertinaciari: vnde fit vt non satis attendam ad ea quæ à te dicuntur.

COR. Immo verò (vt meam illam tui exhortationem, perbeneuolã certè illam & peramicam, persequar) de-

sine animum tuum tuámque memoriam vel in eo vocabulo (si dandum est, posse alicubi inueniri) vel alio in vllo, prisco potiùs quàm antiquo, & situ pleno, (quòd obsoletum sit) occupare. Aliis prisca hæc vocabula è suis latebris, ex illo suo latebroso situ eruenda & extrahenda relinque: (præsertim quum te multis ludum faciant, nec alius ad te perueniat ex tanto tuo labore fructus), ad illam clarissimam Latinitatis lucem postliminio reuertere. Atque, vt mihi tuo apud te quidem vti vocabulo permittam, antiquariatu isto (nã vt Antiquariari ex Antiquarius, ita ex Antiquariari memini te facere vocem Antiquariatus) tanquam aliquo magistratu, quo contra Latinitatis leges fungi te videas, te abdica. Kæn. Dura meis auribus & intimis quoque sensibus est hæc tua exhortatio. Hoc enim esset, meis amoribus, meis deliciis valedicere. Cor. Coges igitur me aliquid, quod tibi auditu durum itidem erit, addere: quàm ridiculos se præbeant in sermone suo non-

nulli

nulli tuæ ſectæ homines (quia non audeo dicere, tuæ circa Latinitatem factionis) & q̃ malè apud multos propter eos audiat. Nam haud te celabo quẽdam archaïſmum hominis antiquarij, cuius tamen celare te nomen decreui. Fortaſſis enim hoc ipſum, quòd eius nomini pepercero, in cauſa erit cur reſipiſcat. Venit autem ille mihi in memoriam, dum Miſokęnus mentionem faceret illius loquẽdi generis, *Inſanire cum ratione*: ſed interrumpere ſermonem nolui. MIS. Caue tibi Kænophile. ominoſum enim eſt illud Inſanire. KÆN. Scio videri poſſe vocem illam omen habere: ſed, quid aliud quàm *nullum ſit in omine pondus*, vel, *deus omen auertat*, dicerem? MIS. Laudo hanc tuam mentem. COR. Antiquarius ille, qui acerrimo alioqui præditus iudicio ſibi videtur, & quo fortaſſe nullus antiquariorum grandius ſupercilium gerit, ob hanc ipſam dignitatem antiquariatus (vt tu Kænophile loqui tibi permittis) quum ſignificare vellet, quendam locum ab eo quem nomi-

nabat, optimè, vel potius quamoptimè, esse emendatum, insaniam ei loquendi generi quo vsus est, adhibuit. Mis. Vide quàm bene sim ariolatus, Kęnophile, quum dixi ominosum esse quod aiebàt Coronellus: se ad mentionem à me factam illius loquendi generis, *Insanire cum ratione*, recordatum esse illius de quonũc agitur antiquarij. Kæn. Nosti quid à me tibi responsum & quàm id tibi probatum fuerit. Sed non assequor hæc Coronelli verba, dicentis, *antiquarium illum ei loquendi generi quo vsus est, insaniam adhibuisse*. Kænophil⁹ sum, nõ O Edipus. Mis. Ego pariter Misokænus sum, non O Edipus: sed mihi videor tamen horum Coronelli verborum mentem assequi. Intelligo enim, eum ita loquutum esse vt insanus videri posset. Cor. Ne tu quidem meorum verborum mentem assequeris. Ac, quum animaduerterem ambiguè loquutum esse, volui statim quædam, tanquam epexegesin, adiungere, atque adeo ipsamet illius verba afferre: sed Misokæni sermo meum anteuer-

anteuertit. MIS. Nunc adiungere illa potes: ne Kænophilus nimia mea festinatione factam sibi iniuriam queratur. COR. Vtar ergo illius antiquarij verbis, *Insanè bene emendatus locus.* MIS. Ego margini libri adscripsissem, illa duo verba *insanè* & *bene* separando, *Quàm bene ille locum eum emendauit, tam insanus in hac tua Latinitate esse videris, antiquarie: si tamen hoc fuit vnquam Latinè loqui, aut, etiamsi olim fuerit, esse nunc potest.* Quid dico? ne EVandri quidem seculo, aut etiam proaui EVandri, ita loquuturum fuisse hominem sanę mētis existimo. Et verò, vt ab EVandri seculo ad nostrum per infinitos scalarum gradus descendam, qui ita loquētem non insanū esse iudicaret, is apud multos opinionē sanæ mētis à se abiudicaret. Quum autem Insanum esse hîc dico, Insanè loqui intelligo. Ne quid igitur dissimulem, sic aliquando loquuntur nonnulli antiquarij, vt de se possint dicere, non quidem,

Est deus in nobis,

(vt poetas de se dicere vult Ouidius) sed,

Est furor in nobis.

Nisi fortè, quemadmodum ab Horatio ira vocatur nõ furor ἁπλῶς, sed breuis furor: ita possint illi dicere,

Est breuis in nobis furor.

Nec verò dubito quin ipsimet interdum, quum de sermone quo vsi sunt, cogitant, seipsos, aut saltem suam ipsorum linguam, furoris, aut certè insanię (vt minus censetur esse insania quã furor) & accusent & damnent. Cor. In hac mentione insaniæ quorundam antiquariorum, coniuncta cum mentione cuiusdam loci Horatij, mihi venit in mentem alius eiusdem poetæ, insaniæ mentionem & ipse faciens, & tamen ad nostrum de antiquariis sermonem pertinens: si modò antiquariorum appellationem latiùs velimus, sicut & possumus, extendere. Dicit enim ille de antiquario quodam, cui nomen Damasippo,

Insanit veteres statuas Damasippus emendo.

Atque audimus quendam alium eiusdem

dem farinæ antiquarium dicentem apud eundem poetam,

Callidus huic signo ponebã millia cẽtum.

Ac incredibile prope modum est quãtos sumptus facerent hi antiquarij in aliquam statuam antiqui operis (aut saltem, quam antiqui operis esse iudicabant) etiamsi mutilatæ essent: sicut ex Iuuenale discimus, & quidem simul ridentes,

Et Curios iam dimidios, humeróſq; minorem
Coruinum, & Galbam auriculis naſóq; carentem.

K. Tu talia & de antiquariorum literariorum insania & furore loquens, illius dicti videris esse immemor, *Læsa sæpe patiẽtia fit furor*. C. Minari hoc quidem est, Kænophile: siue (vt tua libertate antiquaria vtar) minaciari. KÆN. Etiamsi minaciarer tibi, meas minacias in bonam accipere partem oporteret, tanquam à toto antiquariorum collegio proficiscentes: in quod parum abest quin te dicam esse. COR. Sermo tuus τέλος ἀτελὲς habet. MIS. Scio vnde

sit ista apostopesis : quod in mẽtem venerat verbum, non ausum est in linguam quoque venire. KÆN. At nunc audebit. Dico enim, parũ abesse quin te dicam in nostrum antiquariorum collegium esse contumelioſum. COR. Bona verba, quæso. Nam de antiquariis tantùm quibusdam dico quidquid huiusmodi de antiquariis loquor. Et verò nónne quod verum est loquor, quum idem insaniæ genus in quibusdam antiquariis literariis (si licet ita vocare illos qui circa Latinitatem sunt antiquarij) quod in antiquariis statuariis (siue Damasippis, siue aliis) fuisse dico? KÆN. Etiamsi insanire mei quoque in antiquariatu collegæ, aut aliqui certè ex iis, dici possent: horum tamen insaniam cum illorum conferre insania haud fas esset. Illi enim in suam illam antiquarum statuarum, antiquorum signorum, cupiditatem, interdũ vel amplissima patrimonia exhauriebant : hi ita è priscis Latinitatis fontibus aliquam suæ Latinitatis partem hauriunt, vt ne tantillam quidem facultа-

cultatum suarum portiũculam ad acquirẽdum sibi penu illud exhauriant. Quódque multo maius est, hi ex acquisito sibi hoc penu multum postea laudis & honoris acquirunt: quod vix de illis dici|potest. COR. Immo quidam multum suæ laudis suíque honoris è futilibus huiusmodi, quas magno labore sibi compararunt, mercibus, apud multos amittunt. Nec tamen negauerim, eos, pro illa quam è sermone suo referebant laude, aliud quiddam referre, postquam ad antiquariorum castrã transfugerunt. KÆN. Quídnam illud est? COR. Misokæno, non tibi, ad hoc respondebo. MIS. Quídnam igitur illud esse ais quod laudis & honoris loco referunt? COR. Dicam in aurem: risum. KÆN. Ita illi in aurem dixisti, vt tamẽ in meam illapsum sit. Annon enim risum eos referre dixisti? COR. Etiam: & quod verum est dixi.

KÆN. Vide ne triumphum ante victoriam cecineris, Coronelle: &, ne verba illa, *insanè bene*, defendi possint.

Cor. Video futurum tandem vt antiquarium illum cum ratione insaniſſe probes: illum, inquam, qui dixit, *Insanè bene emendatus locus.* Kæn. Futurum est fortasse quod non putas: nisi forte ne Varroni quidem aures vis præbere. Cor. Quid dicēti? K. *Insanè* interdum sonare Vehementer. Atque adeo affertur è Plauto, *esuriens insanè:* non alius certè quàm qui dicendus alioqui esset, vehementer aut vehementissimè esuriens. Cor. Longè aliud est, vocem insanè, iungere verbo Esurire, quàm si verbo Emendare illam fugas, & quidem sequente eam vocula *bene.* Ac fateor & quædam esse quæ aliquis ad insaniam vsq; facere dicitur: quin etiam aliquem dici talem vel talem esse vsque ad insaniam. Quod autem ad eum attinet qui esurire insanè dicitur, is eiusdem mali simúlque eiusdem aduersum se loquēdi generis socium habet in nostrate sermone illum qui dicitur *Enrager de faim.* In eodem verò sermone (vt & ipse nosti) dicitur de quopiam, *Il enrage de faire cela,* de illo

qui

qui ardet aliquid facere, qui vehemẽtissimo aliquid faciendi desiderio tenetur, & quidẽ tanto vt ab eo ad insaniam fere adigatur. Nec verò Latinis, & nominatim Horatio, incognitus est hic sui verbi *furit* vsus. In quo vsu & Græcos, præsertim poëtas, dici possunt imitari. Sed quid hæc omnia ad defensionem illius de quo agitur loquendi generis facere dici possunt? KÆN. Nullam *insanarum substructionum* mentionem facis: quoniam has tibi aduersari animaduertis. COR. Quo mihi modo possunt aduersari? nam hoc dictum, *insanæ substructiones*, pro tantis vt videri possit esse insani vel cogitare de illis, nihil cõmune habet cũ illo, *Insanè bene emendatus locus*. MIS. Iã vides Kænophile, nullo patrocinio illius antiquarij causam posse defendi, & triumphũ ante victoriam non cani. Possem verò & alia exẽpla talis abusus quorundam antiquariorum in imitãdis antiquis proferre: sed in aliud tempus (nisi tua resipiscentia illud tempus præueneris) ea reseruabo. Hoc tan-

tùm addam, quandoquidem in imitatorum sermonem incidi, etiam imitatores Lipsij (id est styli Lipsij) quos vocare Lipsiomimos soleo, plerunque in suo sermone antiquario magnam & ipsi Lipsio & sibi iniuriam facere, dum abutuntur nonnullis vocabulis & generibus loquendi, quibus ille non abutitur, sed vtitur. Quum enim archaïsmorum magistrum sibi illum proponant (è riuulo petêtes quod è fontibus petendum erat) bono magistro malorum discipulorum errores mali quidã iudices imputant: atque ita magnam illi iniuriam faciunt. In seipsos autem non minùs sunt iniurij, dum risus, & quidem cachinnos etiam, pro omni suæ Latinitatis laude, referunt. KÆN. In iis quæ de Lipsiomimis dixisti, me tibi assentientem habes.

Cor. Nunc obiter tantùm mentionem Lipsiomimorum feci: à quibus antiquariolis ad illos planè & plenè antiquarios reuertens, quædam dicam quæ à te attẽtè audiri cupio. Quomodo qui è riuulis, (qui sæpe turbidi

aut

aut saltem subturbidi sunt) non è limpidissimis fontibus, sui antiquarij styli materiem hauriunt, ac eos vix satis notos habent, in risus & cachinnos non inciderent: quum illi planè & plenè antiquarij (multorum quidem iudicio) quibus haurire è fontibus datur, in eos toties incidant? quòd hausta aquam reddere nescio quomodo turbidam, illis sæpe contingat. Interdum autē in eos incidunt, quòd eum quem inter fontes habere delectum deberent, minimè habent. Vt omittam, in hoc fontium genere aliquid vsuvenire, quod iis qui propriè fontes appellantur, aut nunquam aut perrarò accidere videmus: vt ex hoc, vel illo aut certè illo vniuscuiusque fontis loco, potius quàm ex alio, haurire oporteat. Nam, vt Plautinum fontem, omnium pulcherrimum, in exemplū afferam, multum abest quin æquè pulchra loquendi genera ex omnibus eius locis haurire liceat. KÆN. Vel vnum huius rei exemplum cedo, Coronelle. COR. En tibi. Istud loquendi genus, *abiudi-*

careſe à vita, támne tibi pulchrum (niſi alio potiùs vti vocabulo oportet) q̃ alia pluriima, videtur? Kæn. Quidni videretur? Cor. At mihi tamen aſſenſuros eſſe ſcio multos tã pulchrum eſſe neganti. Niſi potiùs alia vti appellatione oportet: quemadmodum iam dixi. Mis. Dic potiùs tam gratum auribus. Kæn. Quidni tam gratum auribus eſſet? Cor. Immo vel illa tanta huius loquendi generis audacia, quin hoc æquè ac pleraq; alia ſit gratũ auribus, obſtare poteſt. Quis enim de hoc conſtitutus iudex (qui quidem iudicio circa Latinitatẽ valeat, minimeq; vlla opinione de ſermone antiquario ſit p̃occupatus) durè audacẽ, aut etiã audacter duram eſſe non pronuntiet? Mis. Ego certè, ſi iudex conſtituerer (tanto alioqui honore indignus) ita iudicarem. Kæn. At ego nequaquam. Quid ſi tamen (nam conſentienti veſtro iudicio multum tribuo) aliquod Plauti exemplar inueniretur, in quo non *abiudicabo me à vita*, ſed *abdicabo me vita*, ſcriptum eſſet? Mis. Velles igitur

igitur dictum esse (si quidem illa scriptura reperiretur) eo modo quo dicitur aliquis Abdicare se magistratu. At Plinius Abdicari è vita dixit, (vitam vocans consortium & commercium quod homines inter se habere solent: vt appellatione βίου Græci interdum vtuntur, si bene memini) de auro loquens, & optans vt posset è vita in totum abdicari. Sed quid tu de illa coniecturali lectione, Coronelle? COR. Multi fortasse Latini sermonis cõsuetudini magis conueniẽs illud loquendi genus à Kænophilo propositum (de quo me etiam aliquãdo cogitasse memini, quum in illum Plauti locum incidissem) quàm alterum, esse dicerẽt. Nam haud video cur potiùs *abiudicabo me à vita*, quàm *abiudicabo à me vitam*, dicẽdum sit: vt apùd Ciceronem legimus, *Iudicabit, Alexandriam regis esse, à populo Romano abiudicabit.*

MIS. O facessant istæ antiquariæ tricæ. COR. Facessant vtinam, & longum valeant. KÆN. Quid? totam Latinitatem antiquariam perpetui silen-

tij damnari, ob huiusmodi (vt vocatis) tricas, tandémque perpetua obliuione cupitis sepeliri? Cor. Absit, absit vt ipse hoc cupiam. (ὑχ ἕτω μαίνομαι) hoc enim fuerit Latinitatem velut capite minuere. Kæn. Quomodo istud fateri, simúlque de antiquariis ita loqui potes? Cor. Ostendam quomodo hæc inter se consentiant. Antiquarius sermo, quem tenere nō debet locum, teneat (id est, legitimæ Latinitais sedem occupet) nolo: quem tenere debet, teneat volo. Kæn. Quísnam locus est quem ei tenendū censes? Cor. Illum legitimæ Latinitati velut succēturiatum adstare volo. Neq; verò dubito quin meam sententiam doctissimi quique viri (quotquot in antiquariam sectam non iurauerunt) sint probaturi. Esse quidem certè idem Ioannis Passeratij iudicium (quod mihi instar multorum est, quum eius & soluta oratio & carmen tantam ei laudem, ob tantam elegantis Latinitatis cognitionem, adiudicent) nuper mihi persuadere cœpi. Eum, inquam, censere, anti-

antiquis aut etiam priſcis vocabulis ita eſſe vtendum, vt legitimæ Latinitatis verbis non intermiſceãtur, tãquam ſub eodem dominio & ſub eadem ditione eſſent (quod propemodum eſſet, non ſacra profanis, ſed profana ſacris miſcere) verùm ſubſequi cogãtur, tanquam peregrinum aliquod agmẽ, ad ſuccenturiandum, ſi fortè opus ſit. Atque id è quadam eius præfatiuncula collegi. Cuidã enim eius loco quũ iam legitimæ Latinitatis verba adhibuiſſet, addidit, & (*vt priſcis vtar verbis*) *imbelliam*, *imbalnitiem*, *impolitiam*, *imparentiam*. MIS. O quàm mihi placet talis vocum antiquarum, aut etiã priſcarum, vſus. COR. Hunc ſi imiteris, Kænophile, nemo te accuſare poterit, tanquam eo quod in antiquario ſermone requiritur iudicio, eóque delectu non vtentem. Quis tamen hodie ſatis iudicij ſatísque delectus ad illum afferre poſſet, quum ne Saluſtius quidẽ potuiſſe exiſtimetur? Sed quorſum hæc? ſi Paſſeratium ea in re imiteris, nemo iam te antiquarium homi-

nem habebit. Misok. Sequere hoc consilium, Kænophile. Coron. Antea monui te, Kænophile, vt te antiquariatu isto (vtebar enim tuo vocabulo) tanquam aliquo magistratu, quo contra Latinitatis leges fungi te videres, abdicare te velles. Vel illæ tricæ, illæ affaniæ (quemadmodum quidem tu antiquariè loquerêris) quarum allata fuerunt exempla, idem te monent. Quòd si harum metus à te id impetrare nõ potest, tangat te quod addam. Hoc enim iam dictis adiicietur: non debere te exspectare tempus quo facias coactus quod sponte faciendum fuisset. Nam dubium haud est quin aliquando tandem prę-ualitura sit illa vera, illa legitima (vt ita dicam) Latinitas. Ac, quandoquidem paulo ante in exhortationis meæ ingressu, in mentem & propemodum in linguam quoque incidit *liga*, pro *secta*: (quum monere te volens ne pertinax in tua secta esses, parũ abfuit quin tua in liga dixerim) exemplum recens è Gallica liga petas velim. Hæc enim colli-

colligatio vario malorum genere (iusto pertinacię suę præmio) conflictata, tandem ligamina & amenta omnia & firmissimas quasque compages amisit: quũ ipsum necessitatis articulum anteuertendo, magnam tantorum malorum partem simul posset anteuenire. KÆN. Præfari debebas, —*si magna licet componere paruis*: cum Gallica liga (vt tu appellas) antiquariæ gentis ligam volens componere. Nisi potiùs debebas inuertendo dicere,

Permagnæ si rem minimam componere fas est.

Sed antiquatiorum ligæ (vt tu vocas) is exitus minimè pertimescendus est, qui fuit Gallicæ. COR. Eius ἀπιστῶ & cum ea ἀπιστῶ à te sperátur, quantum video: sed nosti versum illum,

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

KÆN. Quid? ad desperationem vis me adigere? COR. Quod tibi esset desperare, nobis esset bene sperare. KÆN. Ego pro eo quo sectam illam prosequor amore loquutus sum, tu pro eo quo illam vterq; vestrũm pro-

sequitur odio, loquutus es. Cor. Rogo vt semper huius rei memor sis, quam sæpe auribus tuis inculcaui: me omnes antiquarios sub vna Mycono haud ponere. Kæn. Nunc inter nos istud haùd controuersatur, omnes antiquarios sub vna Mycono, an sub duabus, ponas. Atque, vt verum tibi fatear, peregrinatur animus: iam res alias ago: & totus fere sum in illo meo Pertinaciari: ac mihi in primoribus labris versari videtur nomen eius scriptoris qui illo vsus est. Quamobrem secedere ad breuissimum tempus libet, vt illud meum Pertinaciari meam apud memoriam quæram. Cor. Ne dic tantùm, Vt quæram: sed, Vt frustra quæram. Kæn. Si frustra quæsiuero, dicere me frustra esse, & me ludificare (nolo enim antiquarius ludificari dicere) vobis licebit.

Mis. Dvm abest Kęnophilus, monitum te volui ne illo vocabulo *liga* aliâs apud eum vtaris. Putat enim te seriò loqui: & apud quoslibet, illo, tanquam te autorem habēs, vtetur. Cor.

Non

Non primi estis apud quos ista voce vsus sum. MIS. Non primi igitur erimus qui te irridebimus. COR. Immo ab illis hand irridebar. MIS. Non videbar ergo ceu seriò loquens: & risum illorum tuo (vt fit) anteuertebas. COR. Immo tanquam σπουδάζων, non παίζων, ita loquebar. Sed nimirum mihi negotium cum hominibus erat tam credulis quàm vos in multis incredulos experior. Illis aliquid multo etiam maius persuadebam: illum quem Cicero *ligarium* appellaret, ex eo ita dici quòd cuiusdam factionis esset quæ liga vocabatur. Atque, vt iam *amoto dicamus seria ludo*, quàm multa in Latinum sermonem insititia habemus vocabula, quæ magis mirari quis possit, & quæ fortasse non tam facilè defendi queãt? Valde vetus in sermone Gallico est vocabulum *ligue*: (etiamsi nunquam antea in talem ligã Gallia conspirauerit) ac confœderata Heluetiorum oppida appellant itidem *les ligues*. Nec verò dubium est quin aliquis è recẽtioribus Latinis scriptoribus (eius

temporis quo barbaries Latinitatem, quæ pura adhuc manserat, impurare aliqua ex parte incipiebat) in hoc vocabulo sermoni Gallico præiuerit. A liga autem (si daretur hanc posse dici) quidni fieret ligarius? Mis. Scilicet vt à rheda fit rhedarius. Atq; vt rhedarius dicitur qui rhedæ præest, sic à liga diceretur scilicet ligarius, qui ligæ præest. Si te audiret Kænophilus, is quamuis antiquari⁹, & nouitatis suprà quàm dici potest amator, ac sæpe eo ex amore ridicularius, te interrogaret, *satin' sanus es?* Cor. Scio haud satis ab hoc *rhedarius* adiuuari illud ligarius: sed nec à *falsarius*, nec ab *ancillarius*, (vnde & *ancillariolus*) nec à *mulierarius*, nihilóque magis à *carnarius*, vel *pinguiarius*: sed me legisse memini quoddam cuius in easdem syllabas desinentis vsus magnam cum eo vsu qui daretur nomini ligarius, conuenientiam haberet. Et verò si alia exempla defuerint, quidni ad vocis antiquarius exemplum confugiam? & dicam, vt *antiquarius*, antiqui sermonis amator & fautor,

tor, sic *ligarius*, ligæ amator & fautor. MIS. Esse quid hoc dicam? An risum mouere mihi vis tua paradoxologia? Meam saltem musam mouisti ad scribendum hoc aduersum te distichum,

Kænophilum qui vix hominem paulo antè ferebat,
Se ferre à nobis vult paradoxophilum.

Proh, vt triumpharet Kænophilus si tuum illum sermonẽ audiuisset! Proh, quomodo vtriq; nostrum insultaret! Verùm & aliud mihi venit in mẽtem: te antiquariorum genti nimis fauere, & cum illa videri velle colludere, quũ antiquariorũ appellationẽ exponens, ita meiósi veteris, ita vitium eorũ extenuas, vt his verbis sis contentus, Esse hominem antiqui sermonis amatorẽ & fautorem. Ostendam tibi chartulam in qua à duobus ita exponitur, vt neuter meiósi, quemadmodum tu, vti voluisse dici possit. En tibi vnam, *Antiquarius, Vocum exoletarum nimisque priscarum aucupator.* En tibi alterã, *Antiquarius dicitur qui verba obsoleta & prorsus ab vsu remota, & commenta-*

rios pontificum, & vetustissima fœdera, & exoletos scrutatur autores: vt ex his excerpat quæ non intelligantur, atque vt quædã solus scire videatur. Cor. Ego fortasse in mea expositione vsus meiósi videri potui: sed hic vicissim auxesi vsus non immeritò dicatur: at medium tenuit ille cuius est ea expositio cui priorem locum dedisti. Mis. A me *Antiquarius* exponeretur, *Qui cum hominibus sibi cœuis ita loquitur, vt cũ Evandri matre rediuiua velle loqui videatur.* Cor. Non solùm auxesi sed hyperauxesi vsus dici posses: digna tamen homine misokæno. Ita loqueretur Philokænus. Ego ad istam hyperbolen, aut aliam huiusmodi, venire nolim: sed cõtẽtus fuerim dicere, *Qui vel è Saliorum carminibus verba petit, quæ ne ab illis quidem satis intellecta fuerunt.* Hoc enim de Saliis (si bene memini) & Fabius testatur.

Mis. Lupus est in fabula: en tibi Philokænum regrediẽtem, & quidem multum lætitiæ vultu prę se ferentem. Cor. Inuenerit (credo) vnde suum

pertina-

pertinaciari tueri possit. MIS. Vereor nequa maior lætitiæ causa illi se obtulerit. Nam & canentem illum audire mihi videor. KÆN.

Ite triumphales circum mea tempora lauri.

MIS. Nónne audis, Coronelle, versum Ouidianũ de triumphalibus vittis canentem? COR. Audio. MIS. Audiuerit profecto quod à me dictum fuit, Proh, vt triumpharet Kænophilus, si tuum illum sermonem audiuisset! KÆN.

Ite triumphales circum mea tempora lauri.

Nunquam tãto delibutus gaudio fui. COR. Vnde tantum gaudium, Kænophile? KÆN. Vnde nec putes, nec velis. COR. Ex eo esse scio, quòd tuum *pertinaciari* à te fuerit inuẽtum. KÆN. Immo à me nusquam inuentum fuit illud: (quod tamen auxilio illius *minaciari*, de quo dictum fuit, tueri potero) sed audiui quæ vt nescirem, nec montem quempiam aureum merere velim. Sunt enim à me audita omnia

quæ dixistis: quamuis aliquantū summissa voce nonnulla loqueremini. Inter cætera autem illud Misckæni audiui, *Proh, vt triumpharet Kænophilus*, &c. Audiui quæ de *liga* & *ligario* dixisti: audiui exempla quæ ad autoritatem his dandam attulisti: audiui denique nonnulla, quibus armatus illa mea duo vocabula, *matutinarius* & *vespertinarius*, possim defendere: quę alioqui à vobis tantopere siue explosa, siue explausa, fuerūt. Sed vos valete & plaudite. Mis. O qualis hic à nobis discessus esset. Cor. Fortasse, vt abruptam orationē dicere solemus, ita discessum hunc vocare abruptum liceret. Mis. Quidni? Cor. Sed cur, cur nō vis mihi σύνδειπνος manere? Fortassis enim & nos δειπνοσοφισταὶ erimus, & iam nunc aliquid in rem nostram poterimus δειπνοσοφίζεσθαι. Kæn. Gratiam de inuitatione habeo: sed iam heri cuidam communi amico cœnam condixi. Et verò ecce iterum ipsum δειπνοκλήτορα. Quare valete. Cor. Immo nobis adhuc vel dimidiæ horulæ spatium præsentia tua conce-

concedat, obsecro & obtestor: vel potiùs obsecramus & obtestamur. Nam Misokæni etiam verbis te compello. KÆN. Vt omittam, me iniuriam ipsi conuiuatori facturum, quòd ego cæteros conuiuas remorarer: mihi etiam facerem. COR. Quam? KÆN. Hoc coniecturæ tuæ relinquo. COR. Eò penetrare coniectura mea non potest. KÆN: Prandium meum fuit leuidense, & festinabundum: adeo vt hodie mihi cũ esurialibus feriis aliquid fuerit negotij. Hinc fit vt incipiat stomachus latritare: ita vt habitur⁹ sit ille cõuiuator conuiuã esurionẽ, non saturionem. Sed dicetis fortasse, O quàm antiquarioſus nũc est noster antiquarius! Nolite tñ nunc aduersum me bouinari. Periculo.n. res haud careret: quoniã (vt etiã docet prouerbiũ) esurigo, non minùs quàm mora, bilẽ in nasum concit. Aliud igitur non addã, quàm, Valete & plaudite. COR. Nec nos aliud addemus (nam & Misokæni personam nunc sustinebo) quã, vale tu quoque:

Síque tibi in vacuo sessor plausórque theatro.

Mrs. O quàm longam, Coronelle, quàm surdis huius antiquarij auribus fabulam cecinimus! Cor. Nostro saltem officio functi sumus.

Inutum qui seruat, idem facit occidēti.

Mrs. Pessimè se res habet quòd ea audierit quæ à te de liga & ligario dicta fuerunt. Hic enim sermo, antiquatiæ eius kænophiliæ arma aduersum nos ministrabit. Cor. Danda est opera vt intra paucos dies conueniamus, & videndum qua eum ratione allicere ad conuētum possimus. Subuereor enim ne tergiuersetur, & moras nectat. Sed me spero ita de hac re cogitaturum vt aliquod remediū excogitē: atq; facturū vt quæ vulnus caulæ nostræ intulit,

Vulneris auxiliū mox mea lingua ferat.

Sed an nec te cœna mea est habitura? Mrs. In bonā partem accipio, & gratias etiam ago, quòd me tua mēsa vis accipere: sed est quod me domū reuocet. Quare vale. Cor. Vale tu quoq;, Misokene. nam nec ipse addam Plaudere. Hoc enim Plaudere Kænophilo totum relinquendum censeo.

FINIS.